Introductio methodica in theoriam et praxim medicinae / Ex lingua Anglica in Latinam convertit Joh. Fredericus Clossius.

Contributors

Macbride, David, 1726-1778
Closs, Johann Friedrich, 1735-1787

Publication/Creation

Basle : J.J. Flick, 1783.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/qfdgcfyp

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28770791_0001

DAVIDIS MACBRIDE,

MEDICINÆ DOCTORIS,

INTRODUCTIO METHODICA

IN

THEORIAM

ET

PRAXIN MEDICINÆ.

DAVIDIS MACBRIDE,

MEDICINÆ DOCTORIS,

INTRODUCTIO METHODICA

IN

THEORIAM

ET

PRAXIN MEDICINÆ.

EX LINGUA ANGLICA IN LATINAM

CONVERTIT

JOH. FREDERICUS CLOSSIUS,

A. L. M. PHIL. & MED. D.

Societati Scientiarum Harlemensi adscriptus.

TOMUS I. PARS THEORETICA.

BASILEÆ,
Apud JOHAN. JAC. FLICK.

M. DCC. LXXXIII.

D. Luigi Longoni

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO AUCTORIS.

LIBRORUM, in quibus medicinæ præcepta traduntur, tanta jam proſtat multitudo, ut qui novum illis addat, ſuperfluum laborem ſuſcipere videatur, præſertim, ſi nihil propemodum amplius, quam aliorum ſcrinia compilet: quod quidem eos, qui theoriæ & praxeos medicæ conſpectum generalem pollicentur, facere non tantum oportet, ſed plane neceſſe eſt.

Sed quum tironum rationibus quam maxime conducat, præcipuas materias, ex probatis auctoribus ſelectas, commodaque methodo digeſtas, proponi; plura autem ſyſtemata obſoleta, quædam juſto ſpatioſiora, vel male diſpoſita, alia contra nimium compendiaria, vel obſcura ſint: haud falſo ſuſpicari nobis videmur, novum quoddam ſyſtema nonnullo cum applauſu excipi ita dignum eſſe, ſi naturæ conſentaneum, nec nimis longum, aut breve, & eo dicendi genere conſcriptum ſit, ut ab omnibus, neceſſaria rerum anatomicarum, phyſiologicarum ac pharmaceuticarum, notitia prius inſtructis, facile intelligatur.

Præſens opus ſummam prælectionum, Du-

blini a nobis habitarum, continet, atque ex duabus partibus conſtat.

Prior, ſive *theoretica*, fundamenta, quibus ars ſuperſtructa eſt, exponit, hujuſque notionem generalem ſic tradit, ut, qui medicinam ſolum tamquam partem philoſophiæ naturalis legunt, ea contenti eſſe poſſint. Dividitur in ſeptem libros.

In primo corpus humanum generatim deſcribitur, & ſumma œconomiæ animalis exhibetur.

In ſecundo analyſis morborum, conſpectuſque generalis ſtatus morboſi continetur. Analyſis illa fit, ſymptomatum, ſive partium, morbos componentium, naturam, cauſas, atque effectus, ſeorſim examinando.

In tertio oſtenditur, quomodo ſymptomata morbi eſſentialia ab adventiciis atque extraordinariis diſtinguantur, ſicut etiam, quomodo morbi ſecundum methodum ſyſtematicam in claſſes, ordines, genera, & ſpecies, digerendi ſint.

In quarto ordinum natura ſpeciatim inveſtigatur, ſingulique in genera ſua dividuntur.

In quinto præcepta traduntur de pulſu ac reſpiratione, de ſanguine, urina, aliiſque excrementis, quatenus pro ſignis adhibentur, ex qui-

bus morbi ſtatum præſentem cognoſcere, vel eventum præſagire liceat.

In ſexto ea pars medicinæ, quam ſcriptores ſyſtematici *Hygienen* nominant, ſive generalis ſanitatem tuendi methodus, breviter delineatur.

In ſeptimo denique therapia generalis proponitur.

Pars poſterior, ſive *practica*, ſingulas morborum ſpecies deſcribit, earumque curationes tradit. Dividitur in duodecim libros, ex quibus novem tantum nunc prodeunt, reliqui autem ſequentur, ſi hos, qui jam ſunt editi, eruditis non plane diſplicuiſſe intellexerimus: quorum quidem judicio lubentiſſime nos permittimus, & tum errorum, qui irrepſerunt, tum præcipue repetitionum, quæ in tali tam longo opere parum caveri poſſunt, veniam enixe ab iis petimus.

Conſtitutum ab initio nobis erat, auctorum, quos per totum opus adhibuimus, teſtimonia adducere. Sed perpetuæ iſtæ citationes Lectorum attentionem interpellant. Qua de cauſa, ubi tironum, in quorum potiſſimum uſus hic liber conſcriptus eſt, non multum intererat ſcire, qui ſingularis alicujus diſtinctionis, aut facti, aut opinionis, auctores eſſent, iſtius generis notas fere omiſimus.

Si quis, in librorum medicinalium lectione verſatus, has paginas percurrere dignabitur, is, quæ ex prioribus auctoribus huc tranſcripta ſunt, facile recognoſcet, noſque per SAUVAGESII maxime *Noſologiam methodicam*, librum eximium, ſed nimis multorum voluminum, minutiſque, & maximæ tironum parti inutilibus, diſtinctionibus luxuriantem, profeciſſe intelliget.

Dublini,

die XXVIII Jan. M. DCC. LXXI.

INDEX

LIBRORUM ET CAPITUM, PRIMA HAC PARTE CONTENTORUM.

LIBER I.

Deſcriptio generalis corporis humani, & ſumma œconomiæ animalis capita.

CAP. I. *Corpus humanum in tria ſyſtemata diviſum, & conſpectus generalis partium ſolidarum.* . . . . . pag. 1
CAP. II. *Conſpectus generalis partium fluidarum.* 8
CAP. III. *Vires, corpus humanum animantes.* 17
CAP. IV. *Motus ſyſtematis vaſcularis, nervoſi, & cellularis.* 21
CAP. V. *Actiones, a facultatibus animalibus appetendi, cognoſcendi, & loco movendi, proficiſcentes.* 30

LIBER II.

Analyſis morborum.

CAP. I. *Conſpectus generalis ſymptomatum, ſive partium, morbos componentium.* . . . 34

CAP. II. *Quomodo cauſæ morborum diſtinguantur.* . . . . . pag. 39

CAP. III. *Deſcriptio ſpecialis ſtatus motuum animalium, unde ſanitatis abſolutæ conditiones dependent.* 42

CAP. IV. *Calor animalis immodicus, tamquam ſymptoma generale, ſive affectus morboſus ſimplex, conſideratus.* 44

CAP. V. *Frigoris nimii ſenſus, tamquam affectuum morboſorum ſimplicium ſpecies conſideratus.* 50

CAP. VI. *De nauſea, ejuſque cauſis & effectibus.* 55

CAP. VII. *De ſiti, ut ſymptomate generali, ſive affectuum morboſorum ſimplicium ſpecie.* . 57

CAP. VIII. *De dolore, ejuſque cauſa proxima, & neceſſariis effectibus.* 59

CAP. IX. *Pruritus, tamquam affectuum morboſorum ſimplicium ſpecies conſideratus.* . . 62

CAP. X. *Agrypnia, tamquam affectuum morboſorum ſimplicium ſpecies conſiderata.* . . 63

CAP. XI. *De ſomnolentia, ſive morboſa ad ſomnum proclivitate.* 65

CAP. XII. *De anxietate, ſive ſenſu oppreſſionis præcordiorum.* 66

CAP. XIII. *De ſpirandi difficultate, ejuſque cauſis & effectibus.* 68

CAP. XIV. *Debilitas, tamquam affectuum morboſorum ſimplicium ſpecies conſiderata.* . . 71

CAP. XV. *De ſpaſmo.* 74

CAP. XVI. *De inſenſibilitate, ſive anæſtheſia.* 76

CAP. XVII. *De ſenſibilitate nimia, ſive hyperæſtheſia.* 78

CAP. XVIII. *De delirio.* . . . . . pag. 79
CAP. XIX. *Conſectaria, ex præmiſſa de ſymptomatibus morborum generalibus diſputatione profluentia.* 81
CAP. XX. *De cauſis morborum remotis, ſive poſſibilibus.* 82
CAP. XXI. *Enumeratio ſymptomatum particularium, ſive topicorum.* 101
CAP. XXII. *Symptomata ſexualia, & infantilia.* 117
Tabula ſymptomatum generalis. 124

LIBER III.

Methodus ſymptomata & morbos dividendi atque diſponendi.

CAP. I. *Symptomatum diviſio in ordinaria, adventicia, & extraordinaria.* 129
CAP. II. *Morbi, ſecundum methodum ſyſtematicam, in claſſes, ordines, genera, & ſpecies, digeſti.* 131
Tabula morborum generalis. 138

LIBER IV.

Theoria ſingulorum ordinum morborum, & diviſio in genera.

CAP. I. *De febribus in univerſum, earumque origine & progreſſu.* 143
CAP. II. *De cauſis febrium generalibus.* . . 148

CAP. III. *Febrium in genera diviſio.* . . pag. 153
CAP. IV. *De criſi febrium, & diebus criticis.* 155
CAP. V. *Generalis deſcriptio & theoria inflammationis.* 159
CAP. VI. *De variis modis, quibus inflammatio terminari poteſt, reſolutione, exſudatione, ſuppuratione, gangræna, ſcirrho.* 166
CAP. VII. *Profluviorum theoria, & diviſio in genera.* 172
CAP. VIII. *Dolorum ſpaſmorumque theoria generalis, & diviſio in genera.* 175
CAP. IX. *Debilitates & privationes, earumque genera.* 182
CAP. X. *Anhelationes, in genera diviſæ.* . . 183
CAP. XI. *Mentis morbi, eorumque genera.* 184
CAP. XII. *Cachexiæ, ſive morbi humorales, earumque genera.* 186
Tabula, genera morborum univerſalium exhibens. 189
CAP. XIII. *Ordines morborum topicorum, in genera diviſi, horumque deſcriptiones.* . . 191
CAP. XIV. *Genera morborum ſexualium & infantilium.* 200
Tabula, genera morborum topicorum, ſexualium, & infantilium, exhibens. 204

LIBER V.

Semiologia, ſive doctrina ſignorum.

CAP. I. *De ſignis morborum in univerſum.* 210
CAP. II. *De ſignis ex pulſu.* 213

CAP. III. *De ſignis ex reſpiratione.* . . pag. 220
CAP. IV. *De ſignis, ſyſtema nervoſum perturbatum indicantibus.* 224
CAP. V. *Signa ab exanthematibus, aliiſque corporis externi mutationibus.* 226
CAP. VI. *Signa ex ſanguine.* 229
CAP. VII. *Signa ex urina.* 232
CAP. VIII. *Signa ex ſudore.* 237
CAP. IX. *Signa ex alvi excrementis, vomituque, & anacatharſi.* 239
CAP. X. *Summa prognoſticorum* HIPPOCRATIS. 241

LIBER VI.

Generalis ſanitatem tuendi methodus.

CAP. I. *Quomodo valetudinarii ſe gerere debeant.* 263
CAP. II. *Quomodo ſanis, & bene valentibus, agendum ſit.* 270

LIBER VII.

Therapia generalis.

CAP. I. *Therapia generalis motuum ſyſtematis vaſcularis inordinatorum, ſpeciatim intentorum.* 274
CAP. II. *Therapia generalis motuum ſyſtematis vaſcularis remiſſorum, vel intermiſſorum.* . 289
CAP. III. *Therapia generalis motuum inordinatorum ſyſtematis nervoſi.* 293

CAP. IV. *Therapia generalis, ad materias noxias in primis viis corrigendas, & integritatem univerſæ humorum maſſæ reſtituendam adhibenda.* . . . . . pag. 297

CAP. V. *Methodus ſingulas ſecretiones & excretiones augendi, nimiaſque cohibendi.* . . 301

INTRODUC-

INTRODUCTIONIS METHODICÆ IN THEORIAM MEDICINÆ

LIBER I.

Deſcriptio generalis corporis humani, & ſumma œconomiæ animalis capita.

CAPUT I.

Corpus humanum in tria ſyſtemata diviſum, & conſpectus generalis partium ſolidarum.

MEDICINA in eo verſatur, ut varios illos morbos, qui mortalium genus affligunt, vel præcaveat, vel levet, vel tollat. Nemo autem, qui ſalutari huic profeſſioni nomen dedit, officii ſui partes rite implere poteſt, niſi corporis humani fabricam, & œconomiæ animalis in ſanitate abſoluta rationes, prius exploratas atque perſpectas habeat. Ex quo ſequitur, ut eos, qui animum ad medicinam diſcendam appellunt, prima ſtudiorum initia ſemper ab anatomica & phyſiologia auſpicari oporteat. Sed quum Lectores noſtros diſciplinis illis, aditum ad ipſam artem præmunientibus, jam inſtructos eſſe ponamus, nihil aliud in præſentia faciemus, niſi brevem aliquem conſpectum, ac neceſſarias quaſdam diviſiones, exhibebimus.

Corpus humanum, quum fabricam ejus per ſe, ſine figura, poſitura, & connexione, ſingulis organis propria, conſideramus, non, quod antehac facere conſuerunt, in duas tantum partes, ſolidas & fluidas,

ſive continentes & contentas, ſed tripertito potius dividendum eſſe exiſtimamus, ſic, ut totum in ſyſtema vaſculare, nervoſum, & cellulare diducatur.

Per ſyſtema vaſculare omnis illa corporis humani portio intelligitur, quam tubi, ſive canales continui, ſanguine aliiſque humoribus craſſioribus repleti, componunt.

Syſtema nervoſum partem cerebri medulloſam, & medullam ſpinalem, cum omnibus chordis ac filis, quæ ab utraque oriuntur, & tenuiſſimo quodam liquore irrigari creduntur, complectitur.

Ad ſyſtema denique cellulare omnes illos poros, omniaque illa cava diſſæpta, limpha & oleo plena, referimus, quæ varie inter ſe intextis vaſis filiſque nerveis, & fibris lamelliſque ſolidis, ea colligantibus, fiunt, atque ita reliquam corporis humani fabricam abſolvunt.

Hac diviſione ſimul & ſolidas & fluidas partes comprehendimus, eoque ipſo difficultatem veros utrarumque limites conſtituendi evitamus. Ante vero quam ulterius progrediamur, aliquam partium ſolidarum diſtinctionem facere oportet.

Fila nervea, utpote propria motuum ſenſuumque inſtrumenta, ſolidorum vivorum appellationem conſecuta ſunt: quam ipſam vaſculari quoque ſyſtemati tribuere non dubitamus, ſiquidem omnes & ſingulæ ejus partes in perpetuo motu conſtitutæ ſunt, ac fluida, virium quarumdam, ſubſtantiæ, latera vaſorum conſtituenti, inſitarum ope, per canales propelluntur.

Viva appellantur hæc ſolida, ut diſtinguantur a concreto illo non organico, quod oſſium, ligamentorum, & cartilaginum ſubſtantiam maxima ex parte efficit, itemque ab inertibus illis fibris ac laminis, quæ ungues & cuticulam formant, vaſculaque minuta ac fila nervea connectunt, atque hac ratione innumeros poros & cava exigua intermedia relin-

quunt, quæ omnia eadem generali ſyſtematis cellularis appellatione concluduntur.

Solida igitur dividuntur in ſolida viva, & ſolida inertia. Solida viva ſunt ea, ex quibus ſyſtema vaſculare & nervoſum conſtat: ſolida autem inertia, quæ partes duriores formant, ac ſyſtema cellulare majore ex parte conſtituunt.

Singulatim nunc in uniuſcujuſque ſyſtematis naturam & limites inquiramus.

SYSTEMA VASCULARE.

Syſtematis vaſcularis centrum cor eſt, hoc eſt, omnes tubi, ſive canales, ſyſtemate vaſculari comprehenſi, fluida vel ex corde in reliquum corpus diducunt, vel ex hoc in illud revehunt.

Quamquam omnis motus animalis a ſyſtemate nervoſo proficiſci videtur, & cor, æque ac quivis alius muſculus, tantiſper dumtaxat agere poteſt, quoad nexus cum nervis, ipſum adeuntibus, integer manet: neceſſarium tamen eſt, ut ſyſtema vaſculare a nervoſo diſtinguatur. Apparebit enim, quum naturam morborum inveſtigatum ibimus, fieri poſſe, ut, etiamſi inſignis quædam ataxia in altero incidat, alterum tamen exiguam, vel omnino nullam, experiatur.

Syſtema vaſculare omne arteriarum, venarum, ſinuum, ductuum, & vaſorum abſorbentium genus comprehendit, atque in vaſa circulatoria, ſecernentia, excernentia, & abſorbentia, dividi poteſt.

Ad vaſa circulatoria referimus omnes arterias, quæ ab aorta & arteria pulmonali ortæ, univerſum ſanguinem per corpus diſtribuunt, omneſque venas, quæ retrorſum flexæ, & cum duobus illis magnis ſinubus venoſis coaleſcentes, eumdem revehunt, atque ita perpetuum ejus circuitum conſervant.

Per vaſa ſecernentia omnes illos minutos variorum organorum tubulos intelligimus, qui ſecretioni ac-

commodati ſunt, variique generis humores ab univerſa maſſa ſeparare atque percolare ſtatuuntur.

Per vaſa excernentia eos tubos, ſive ductus (hoc enim vocabulo frequentius inſigniuntur) ſignificamus, qui pariter ad ſecretionis organa pertinent, atque hoc munere funguntur, ut humores ſeparatos avehant, & vel ad receptacula propria, in quibus nonnulli ex iis deponuntur, deferant, vel ex corpore excernant.

Vaſa abſorbentia tubi, valvulis inſtructi, ſunt, vehentes fluida, quæ ex ſuperficie corporis externa, ex omnibus cavis amplioribus, viſcera continentibus, ex horum ipſorum viſcerum ſuperficiebus, ex univerſo ſyſtemate cellulari, atque ex canali cibali, abſorbendo receperunt.

Fluida, quæ a vaſis abſorbentibus recipiuntur, omnia, vel certe pleraque, ad canalem illum, quem ductum thoracicum nominant, deferri putantur, unde in venam ſubclaviam ſiniſtram, atque hinc admodum celeriter in dextram cordis auriculam effunduntur.

Vaſa abſorbentia duplicis generis ſunt: alia lactea, quæ a canali cibali orta, & per meſenterium pergentia, chylum ad commune ipſius receptaculum deferunt; alia valvuloſa limphatica, quæ ab omnibus reliquis locis, unde vaſa abſorbentia oriri diximus, nata, limpham, alioſque liquores tenuiores, variis illis ſuperficiebus & cavis contiguos, qua pori bibuli ad eos recipiendos hiant, reſorbent.

SYSTEMA NERVOSUM.

Quemadmodum ſyſtematis vaſcularis centrum cor eſt, ita pro nervoſi ſyſtematis baſi cerebrum habere poſſumus.

Quum in morbis quibuſdam muſculorum quidem vires funditus exhauſtas, ſentiendi autem ac perci-

piendi facultates integras, & contra in aliis muſculos ſtupendo robore pollentes, omnes autem ſenſus ſuppreſſos obſervare liceat: duos nervorum ordines, unum perceptioni maxime ac ſenſationi accommodatum, ſenſuumque internorum & externorum organis inſervientem, alterum cum muſculorum fibris commixtum, jure meritoque conſtituere nobis videmur.

Antiquiſſimis jam temporibus Phyſiologi nervos hunc in modum diſtinxerunt, magnam ſententiæ ſuæ probabilitatem inde accedere opinati, quod chordarum nervearum aliæ contextum firmiorem ac duriorem, aliæ molliorem pulpæque ſimilem exhibeant. Illas ad muſculos potiſſimum, has ad ſenſuum organa excurrere cenſuerunt. Sed accuratioribus obſervationibus cognitum eſt, hunc diſtributionis modum neutiquam eſſe perpetuum, neque inter nervos, qui ad ſenſuum organa pertineant, & eos, qui per muſculorum fibras diſtribuantur, quidquam differentiæ materialis vel a perſpicaciſſimo corporis humani ſcrutatore detegi poſſe. Una enim quæque chorda nervea, ſi ſatis ampla ſit, poſitumque ad experimenta, in animalibus vivis capienda, opportunum habeat, tenuem quemdam liquorem, qui proximum motus, æque ac ſenſus, inſtrumentum eſt, continere, vel tranſmittere invenitur.

SYSTEMA CELLULARE.

Breviter hactenus percurrimus ſolida viva. Sed omnia illa vaſorum genera, quæ vel a corde oriuntur, vel in eo deſinunt, itemque omnes illæ chordæ, vel fila nervea, quæ a cerebro, vel a medulla ſpinali, deſcendunt, quantumvis varie inter ſe conjuncta, diſpoſita, vel implexa, in univerſum tamen præterea fibris quibuſdam ac lamellis connectuntur atque colligantur, quæ a ſolidis vivis in eo diffe-

runt, quod omnis & ſenſus & motus expertes ſunt.

Hoc mechaniſmo vita ſanitaſque animalium conſervari poteſt: id quod fieri non poſſet, ſi omnes fibræ corporis ſolida viva, & cellularis ſyſtematis ſolida eadem movendi atque ſentiendi facultate prædita eſſent, qua ea, quæ ſyſtema vaſculare ac nervoſum conſtituunt. Varia enim ſunt, quæ ſi nervis, & vaſis, tactui atque irritationi opportunis, admoveas, motus horum perturbent, vel forte interrumpant, in ſyſtematis autem cellularis cavis, inter ſolida inertia, hanc fabricæ animalis partem componentia, ſi collocentur, omni omnino noxa careant. Sed rei hujus uberius illuſtrandæ occaſionem paſſim infra habebimus, ubi de origine ac progreſſu morborum quorumdam diſſeremus. Apparebit enim, fluida in ſyſtemate cellulari vel ſtagnare, vel depravari poſſe, neque tamen ſolidorum vivorum motus inordinatos inde fieri.

Accipe igitur, quam animo comprehendendam eſſe exiſtimamus, ſolidorum inertium formam!

Solida inertia non ſolum eas partes corporis conſtituunt, quæ neque nervos, neque vaſa habent, ut cuticulam ejuſque continuationes, ungues, pilos, magnam partem ſubſtantiæ oſſium, cartilaginum, ligamentorum, tendinum, ac membranarum tenuium, ſed etiam hoc officio funguntur, ut ſolida viva ubique inter ſe connectant, quælibet vaſcula minuta & fila nervea colligando. Quumque in omnibus partibus corporis, iis, quas diximus, exceptis, innumerabilis nervorum vaſorumque, omnem oculorum aciem fugientium, multitudo ſit: tamen, ſi rationibus, ab analogia petitis, diſputemus, minimoſque ramos ac fila, truncis & chordis, ſub oculos cadentibus, ſimilia ſtatuamus, dubitari non poteſt, quin tranſverſas illorum ſectiones circulos eſſe oporteat. Atque hinc neceſſario conficitur, ut, ſi inter ſe intexta, vel contigua ſint, in univerſum

poros cavaque exigua habeant interjecta. Ex quo intelligere licet, quamvis nonnullæ corporis partes ſint, quæ & nervis & vaſis careant, hoc eſt, ſolida non viva, nullum tamen in tota fabrica locum eſſe, quo ſyſtema cellulare non porrigatur, & ubi ſolida aliqua inertia non ſint admixta.

Syſtema cellulare in univerſum per totum corpus extendi, neque ullam ejus regionem eſſe, ex qua non via in quamvis aliam pateat, ſatis abundeque demonſtrare nobis videntur morbi, qui emphyſema & hydrops ἀνὰ σάρκα appellantur. In priori aër elaſticus, late diffuſus, & a poro ad porum, a cellula ad cellulam, progreſſus, uſque ad intimos corporis receſſus penetrat: in poſteriori latex aquoſus tenuis eodem modo ſæpius univerſam corporis ſuperficiem inundat.

Cava ſyſtematis cellularis in ſanitate vel limpha, vel oleo, repleta ſunt, adeoque in duas partes, unam limphaticam, alteram oleoſam, ſive adipoſam, diduci debent.

Prioris partis poros & cava exigua ſemper ſic concipi oportet, quaſi unicuique vel minimo vaſculo, exiliſſimæque fibræ nerveæ, interjaceant. Poſterioris contra cellulæ minus late patent, ſiquidem oleum animale, ſive adeps, ſemper in diſtinctis loculis, vel veſiculis, collocatur.

In quacumque corporis parte fluida oleoſa neceſſaria ſunt, peculiaris quidam apparatus eſt, qui ea contineat, & ne ultra, quam œconomia animalis requirit, diffundantur, impediat. Quod niſi eſſet, oleum iſtud, libere per ſyſtema cellulare vagans, & quaquaverſum ſe diffundens, eaſdem noxas, quas aqua in hydrope ἀνὰ σάρκα, vel aër elaſticus in emphyſemate, crearet.

CAPUT II.

Conſpectus generalis partium fluidarum.

PRÆTER canalem cibalem, & arteriam aſperam cum ipſius continuationibus, quas aër, corpora noſtra ambiens, occupat, omnes in univerſo corpore canales, omniaque cava, vel ſanguine, vel humoribus, a ſanguine ſeparatis, vel chylo, repleta ſunt.

Nullus itaque latex animalis eſt, quin aliquo ex tribus his generibus contineatur. Singulatim de unoquoque breviter exponemus.

SANGUIS.

Sanguis, dum calet, & ex vaſis fluit, unam coloris rubri ac firmitatis ſpeciem exhibet, tactu glutinoſus & tenax; refrigeratus autem, amiſſa natura fluida, in coagulum abit, cujus, pro eorum, quibus detractus eſt, varietate, varia eſt firmitas.

Coagulum hoc paucas poſt horas, ſerius citiuſve, (pro aëris enim ſtatu, aliiſque conditionibus, quarum indicandarum opportunitatem deinceps habebimus, ſpatium hoc longius, vel brevius eſt) ab omni ſuperficiei ſuæ parte non nihil humidi exſudat, quod, paulatim auctum, in laticem aquoſum colligitur, tam copioſum, ut coagulo a pateræ, qua exceptum fuit, lateribus ſejungendo ſufficiat, idque, tamquam inſulam, circumfluat. Latex ille ſeri, coagulum autem rubrum cruoris, ſive craſſamenti, nomine inſignitur.

Serum in homine ſano plerumque coloris expers, alias flavum, interdum ſubviride eſt. Cruoris pars ſumma, prout hominum, e quorum venis ſanguis miſſus eſt, ætas, ſexus & ſanitas variant, variam firmitatem, varioſque colores exhibet.

Serum, ſicut albumen ovi, alcohole, vel ſpiritu aliquo minerali acido, mixtum, aut calori, gradum centeſimum ſexageſimum ſcalæ Fahrenheitianæ ſuperanti, expoſitum, in coagulum abit: alioqui liquidum manet.

Cruorem peculiaris quædam ſubſtantia, ſanguinem colore rubro tingens, & limpha, quæ, quod ſponte coagulatur, coagulabilis a Phyſiologis nominata eſt, componunt. Limpham hanc coagulabilem a parte rubra duobus modis ſeparare licet, vel ſic, ut ſanguis, recens detractus, ſcopula agitetur, ubi limpha, brevi tempore in coagulum abiens, virgis adhæreſcit; membranæque firmæ ſubalbidæ, ex fibris inter ſe intextis compoſitæ, ſpeciem exhibet, vel ſic, ut fruſtum aliquod cruoris colo immittatur, eique ſubinde aqua affundatur, donec, omnibus particulis rubris ablutis, nihil, niſi ſubſtantia fibroſa ſubalbida, relinquatur.

Naturam materiæ hujus colorantis, quæ a ſero limphaque coagulabili ita ſeparari poteſt, neque Chemici, neque Phyſiologi, adhuc perſpexerunt. In hoc uno omnes conſentire videntur, rubrum ſanguinis colorem non dependere a coalitu ſex globulorum ſeroſorum, ſive flavorum. Fovit hanc opinionem ſummus BOERHAAVIUS, LEEUWENHOECKII, ni fallor, auctoritate abreptus, qui quidem microſcopiorum ſuorum ope vidiſſe ſibi viſus eſt, ex ſex globulis ſeroſis, qui disjuncti flaveant, in unum compactis, globulum rubrum effici.

Sanguis igitur pro liquore, ex globulis diverſæ magnitudinis, ſerie conſtanti decreſcentis, compoſito, habitus eſt. Globulum enim ſeroſum ex ſex globulis limphaticis, limphaticum ex ſex aliis, etiamnum minoribus, conflari, ſeriemque iſtam hac ratione progredi, dum ad liquorem omnium ultimum ac tenuiſſimum, hoc eſt, liquorem nerveum, deveniatur.

Ex BOERHAAVII ſententia etiam vaſorum diametri ſerie conſtanti ita decreſcunt, ut globulorum magnitudini exacte reſpondeant. Sed hæ opiniones nunc quidem fere exploſæ ſunt. Quamvis enim, quæ nos adhibemus microſcopia, LEEUWENHOECKIANIS multo perfectiora ſint, nemini tamen neque coalitum illum ſex globulorum, neque vaſa, ſerie illa conſtanti, quam BOERHAAVIUS finxit, decreſcentia, adhuc obſervare licuit.

Nonnulli Phyſiologorum partem rubram ſanguinis ex oleo potiſſimum, ſive materia inflammabili, conſtare putant: alii autem eam fero reſiduo, aut ſubſtantia fibroſa, quam limpha coagulabilis efficit, magis inflammabilem eſſe, pluſve olei ſub deſtillatione largiri, negant. Illuſtriſſimus HALLERUS ferrum, in terra ſanguinis contentum, præcipue cum particulis rubris connexum eſſe ſuſpicatur. Neque a vero admodum aliena videtur hæc conjectura, ſi fidem habere liceat experimentis, quæ Cl. BUCHWALDUS, Medicinæ Profeſſor Hafnienſis, in ſingulari *de rubro ſanguinis colore* diſputatiuncula, anno 1762, edita, cum eruditis communicavit. Craſſamenti albi, a particulis rubris lotione penitus liberati, fruſtum cum aliqua ſalis alkalini fixi portione in calcem redegit, maſſam hanc in aqua diſſolvit, diſſolutæque aquam, in qua alumen ſolutum fuerat, affudit. Sed nihil inde mutatus eſt color. Rubri autem craſſamenti fruſtum quum cum ſale alkalino fixo in calcem redegiſſet, maſſæque diſſolutæ alumen ſolutum addidiſſet, protinus color in cæruleum mutatus, & pigmenti illius, quod cæruleum Pruſſicum, ſive Berolinenſe, appellatur, ferrique præſentiam certiſſime demonſtrat, portio quædam depoſita eſt. Unde Cl. BUCHWALDUS, rubrum ſanguinis colorem a particulis ferreis, cum ipſo remixtis, repetendum eſſe, concludit.

Si conſideremus, ferri mineras ubique fere per abdita telluris diffuſas eſſe, metallumque illud parti-

cularum ſalinarum, æque frèquentium, ope in aqua facillime diſſolvi, & cum hac commixtum, non tantum ab animalibus bibi, ſed etiam in plantarum, quibus aluntur, ſuccos penetrare: hæc igitur ſi conſideremus, non amplius mirum nobis videbitur, ferri veſtigia in ſanguine reperiri.

Facit ad confirmandam hanc ſententiam, quod eorum, qui remediis, e ferro parratis, utuntur, ſanguis ſemper floridus evadit. Sed utrum hoc ferro, quod ſanguini ita admiſcetur, an motui, quem medicamenta illa nunquam non augent, potius tribuendum ſit, adhuc dubitari poteſt. Pro majore enim minoreve vaſorum actione & robore, ſanguinem magis minuſve rubere, conſtanti obſervatione compertum eſt.

Materia, ſanguinem rubro colore tingens, cum reliquis, quæ ſanguinem conſtituunt, partibus comparata, valde quam exigua eſt, ſiquidem ab uno illius grano mille aquæ puræ grana perſpicue tingi conſueverunt.

Diximus hactenus de iis partibus, in quas ſanguis ſua ſponte diſcedit. Sed Phyſiologi, quo accuratius ejus naturam explorarent, atque elementa, quæ hunc liquorem, æque ac totam reliquam ſubſtantiam animalem, conſtituunt, cognoſcerent, chemiam in ſubſidium vocarunt. Fatendum autem eſt, ſanguinis elementa per analyſin chemicam nec vera, nec prorſus ſincera, obtineri poſſe. Neque tamen nulla eſt analyſeos utilitas, quum de mutationibus, quæ in componendis & coagmentandis fluidorum animalium particulis inſenſilibus contingunt, perſpicue loqui nos doceat.

Quum enim fluida animalia ex diverſis particulis inſenſilibus, attractionis electivæ vi præditis, conſtent, has tamquam mixta chemica conſiderare licet, unde varia & multiformia compoſita conflari poſſint.

Quandoquidem analyſeos chemicæ momentum tam parvum eſt, ut Medico vix quidquam inde in

ſuos ægrorumque uſus convertere liceat, nihil fere aliud faciemus, niſi elementa illa, in quæ ſanguis, accedente ignis violentia, reſolvitur, enumerabimus.

Prima, ſanguinem conſtituens, pars aqua eſt, eademque omnium facile copioſiſſima, non in ſanguine tantum, ſed in his etiam corporis partibus, in quibus magna ſiccitas, duritia, atque ſoliditas apparet. Oſſa exſiccata, & tam diu aſſervata, donec a ferri duritia proxime abeſſent, ſub deſtillatione eam laticis aquoſi copiam dimiſerunt, quæ dimidium illorum pondus æquaret.

Altera pars terra eſt, quæ, poſtquam omnia aſcenderunt ac diſſipata ſunt, remanet, igniſque & aquæ actioni reſiſtit. Quoſdam Phyſiologos ſi audias, ab hoc elemento ſubſtantiæ animalis firmitas, ſoliditas & cohærentia dependet. In ea terra, quam ſanguis, deſtillationi ſubjectus, relinquit, exigua calx metallica invenitur, quæ, commoda enchireſi adhibita, in ferrum reduci poteſt.

Tertia pars ſal eſt, iſque partim fixus, cum terra in cucurbitæ fundo remanens, partim volatilis, una cum aqua & oleo inter deſtillandum aſcendens.

Quarta pars oleum eſt, quod in homine ſano octavam circiter ſanguinis partem efficit.

Quinta denique pars aër eſt, qui, niſi in adminiſtrando deſtillationis apparatu ſumma cautio adhibeatur, in totum avolat. Quod elementum quum in duriſſimis ſolidiſſimiſque ſubſtantiæ animalis partibus maxime abundet, factum eſt, ut complures illud pro coagmentante illo principio haberent, a quo firmitas & cohærentia in primis dependeret. Aër hic fixus, qui non, niſi igne violentiſſimo, a corporibus ſeparari poteſt, vel ab iis, dum ſponte reſolvuntur, avolat, nunquam cum illo aëre confundi debet, qui cum ſanguine remixtus, vel in corporum ſolidorum poris conſtitutus eſt, atque in vaſe recipiente antliæ pneumaticæ exhauſto ſeſe expedit.

Ex analyſi itaque chemica manifeſtum eſt, ſanguinem, pariter ac ſolidam corporis humani ſubſtantiam, ex partibus aquoſis, terrenis, ſalinis, oleoſis, ſive inflammabilibus, & aëriis, componi.

HUMORES SECRETI.

Omnes humores ſecreti a ſanguine in variis corporis partibus, colorum, ſive organorum quorumdam, hunc in finem conſtructorum, ope ſeparantur.

Quædam horum fluidorum tam tenuia ſunt, ut ſub ſenſus externos non cadant, adeoque, niſi argumentis, ab analogia petitis, probari nequeant: alia craſſiora ſunt, & analyſi chemicæ aliiſque inveſtigandi modis ſubjici poſſunt.

HUMORES CRASSI.

Humores craſſi a nonnullis Phyſiologis in claſſes diſtributi ſunt, diviſique

1) in aquoſos, in quibus pars ſanguinis aquoſa abundat;
2) in mucoſos, in quibus pars fixior, ſive terrena, præter cæteras evidens eſt;
3) in gelatinoſos, in quibus limpha coagulabilis præcipue manifeſta eſt;
4) in oleoſos, in quibus principium inflammabile maxime conſpicuum eſt.

Fortaſſis hæc diviſio non admodum exacta eſt: ſed, quum meliore adhuc careamus, eam ſequemur, univerſam humorum ſecretorum craſſiorum maſſam, tamquam illa comprehenſam, contemplaturi.

Humores aquoſi in univerſum lentore & tenacitate deſtituti ſunt, evaporatique non coagulantur, nec notabile reſidui momentum relinquunt.

Referuntur huc perſpirationis materia, urina, lacrimæ, humores oculorum, latex, in glandulis ſalivalibus ſeparatus, & ſuccus pancreaticus.

Humores mucoſos lentor diſtinguit. Saporis, maximaque ex parte odoris, ac coloris expertes ſunt, cum aqua facile miſcentur, ſed neque calore, neque affuſis acidis mineralibus, aut ſpiritibus ardentibus, in coagulum abeunt, igne adhibito evaporati, magnam reſidui copiam relinquunt.

Ad hanc claſſem pertinet mucus ille, qui oris, narium, faucium, arteriæ aſperæ, omniumque ejus ramorum, per pulmones diſperſorum, partem internam oblinit, itemque univerſum, qua patet, canalem cibalem, organaque uropoëtica, & partes uteri ac vaginæ internas, lubricat.

Semen in mucoſis humoribus numeratur: ſed articulorum unguen, mucuſque ille, quem tendinum vaginæ continent, ſimul & gelatinoſæ & mucoſæ indolis ſunt.

Humores gelatinoſi in ſanis lentore ac tenacitate carent, nec, quod ad fluidam naturam attinet, quidquam ab aquoſis diſcrepare videntur: calefacti autem, velut albumen ovi, coguntur, & ſpiritibus ardentibus, acidiſve acrioribus, mixti, in floccos grumoſque coëunt.

Limpha, quæ in vaſis limphaticis valvuloſis invenitur, humor gelatinoſus eſt, manifeſto argumento, hunc laticem eum eſſe, qui partem ſyſtematis cellularis occupet, atque omnia cava ampliora irroret.

Liquor gaſtricus & inteſtinalis, qui ex poris, in tunica ventriculi atque inteſtinorum interna hiantibus, ſtillant, gelatinoſi humores ſunt. Eodemque a nonnullis Phyſiologis etiam amnii liquor, cui fetus innatat, relatus eſt.

Humores oleoſos natura inflammabilis potiſſimum diſtinguit, ad eoſque omne olei animalis genus, ſive adeps, ſive medulla appelletur, pertinet. Humores iſti, quemadmodum ſupra jam indicavimus, ſecundum naturam ſemper diſtinctis cellulis, veſiculiſve, huic uſui accommodatis, coërcentur.

Humoribus oleoſis cerumen aurium annumeratur, itemque bilis & lac. Sed poſteriores, dubito, an ſatis proprie illuc referantur, ſiquidem elementum oleoſum in neutro præ ceteris abundare invenias.

Horum humorum aliqui, tamquam ſuperflui, vel effeti atque inutiles, ex corpore eliminantur, quæ excrementa appellant: cæteri, in varios œconomiæ animalis uſus, in canalibus, vel receptaculis, reſervantur. Eorum, qui reſervantur, alii in perpetuo motu ſunt: alii, vel in cellulis & veſiculis, vel in cyſtibus, huic uſui proprie inſervientibus, depoſiti, quieſcunt ac ſtagnant.

FLUIDA TENUIA.

Fluida tenuia, quæ, licet ob oculos poni non poſſint, animo tamen a Phyſiologis concipiuntur, duo ſunt, unum limpha nutricia, alterum liquor nerveus.

LIMPHA NUTRICIA.

Veteres Phyſiologi laticem quemdam tenuiſſimum, nutritioni inſervientem, ſtatuerunt, cui *cambii* nomen indidere, quemque per *carnium*, quas vocarunt, *poroſitates* diſtribui finxerunt.

Recentiores pariter limpham quamdam tenuiſſimam, nulli humorum ſecretorum, quos ſupra recenſuimus, affinem, ſtatuunt, quæ, nutritionis officio fungens, particulas, jacturam reparantes, contineat, ſolidiſque corporis partibus adjiciat.

Liquor hic, ſive, ex Phyſiologorum quorumdam ſententia, idem eſt, qui nerveus, ſive ſui generis, quandoque corpori nutriendo adjicitur, non ſoli parti internæ vaſculorum minutorum, in quibus perpetua fluxio eſt, ſed poris potius atque interſtitiis cellulo-ſis, in quacumque corporis parte obviis, adjici haud falſo videtur.

Nonnullas enim partes, nominatim cuticulam, ejuſque continuationes, ungues ac pilos, vaſis deſtitutas eſſe novimus: at eaſdem tamen nutriri, & deſtructas, vel abraſas, celeriter renovari, videmus: id quod fieri non poſſet, ſi materia nutriens vaſorum dumtaxat, ipſam diducentium, jacturæ reparandæ adhiberetur.

Qui per univerſum, qua patet, ſyſtema cellulare obtinet conſenſus, dubitare nos non ſinit, quin particulæ nutrientes, ſi liquori tenuiſſimo innatent, per omnes corporis partes facillime diffundi poſſint.

LIQUOR NERVEUS.

Quamquam nihil eſt, quod, nerveum aliquem liquorem eſſe, demonſtret, nec modus, quo nervi ab ipſo imbuantur, definiri poteſt: tamen, ſi inſignem illam ſanguinis, per cerebri vaſa circumeuntis, copiam conſideremus, dubitari profecto non poteſt, quin ſecretio aliqua ibi contingat.

Soli nervi ductus illi excernentes ſunt, qui ſub oculos cadunt, ſed, utrum liquor in tubulis minutis vehatur, an ſecundum fila, ignis electrici modo, deferatur, perobſcura quæſtio eſt, quam ad liquidum unquam perductum iri, ſperare vix licet. Satis eſt, in univerſum nos ſcire, ſenſum motumque dependere a libera tranſmiſſione rei cujuſdam, quæ, a cerebro profecta, per nervos ad ſenſuum organa, ſingulaſque muſculorum fibras, progrediatur.

CHYLUS.

Unus ille, adhuc commemorandus, liquor animalis chylus eſt, quem vaſa lactea a canali cibali recipiunt, ubi ex variis rebus, quas in cibum ac potionem adhibemus, conficitur. Hæ enim, cum ſaliva, bile, cæteriſque ſuccis, quos pancreas, ventriculique

que

que & inteſtinorum tunicæ largiuntur, commixtæ, peculiarem quamdam fermentationem ſubeunt, quæ digeſtio, ſive concoctio, appellatur.

Fermentatio hæc liquorem illum, de quo agimus, generat, qui, a vaſis lacteis abſorptus, per ea ad ductum thoracicum defertur, atque hinc in venam ſubclaviam ſiniſtram effunditur. Neque tamen univerſus, quo vaſa lactea ſcatent, liquor chylus eſt, ſed ex parte aqua, cum ſolutis iis ſubſtantiis, quæ ſub digeſtione mutari non potuerunt.

Atque ita conſpectum generalem trium illorum ſyſtematum exhibuimus, quæ conjuncta machinam animalem componunt.

CAPUT III.

Vires, corpus humanum animantes.

EX uſu loquendi, inter ſcriptores medicos recepto, corpus machina nominatur. Sed Lectores noſtri motuum, quos illud perficere poteſt, explicationem ex principiis mechanicis fruſtra exſpectabunt. Quod ſi enim ad ea, quæ hac in parte tentata adhuc atque agitata ſunt, vel leviter attendamus, fieri ſane non poteſt, quin, omnes iſtius generis explicationes vanas atque fallaces eſſe, pro veriſſimo nobis conſtet.

Syſtema nervoſum, quod proximum ſenſus, æque ac motus, inſtrumentum eſſe videtur, ab anatomica inveſtigatione tam longe remotum eſt, ut magnas agere nugas merito ſuo cenſeatur, ſi quis ratiocinia mechanica ad hanc fabricæ humanæ partem applicet. Quod autem ad ſyſtema vaſculare attinet, quamquam plures ingenioſiſſimi viri in dimetiendis vaſorum diametris, cordiſque & arteriarum viribus ad calculum exigendis, aſſiduam collocarunt induſtriam: tamen, ſi reputemus, quantopere ea, quæ inde con-

cluſerunt, inter ſe diſcrepent, dubitare vix poſſumus, quin omnes iſti labores perparvæ rei fuerint.

Sed quemadmodum nonnulli Phyſiologi principiis mechanicis eo uſque abutuntur, ut parum abſit, quin hominem in meram machinam convertant: ſic e contrario alii, omnia ad animam referentes, incurioſi eſſe videntur mutationum, quæ in motibus animalibus ita contingunt, ut a voluntatis imperio non dependeant.

Accidit autem hîc, quod in pleriſque controverſiis accidere ſolet, ut, rem juſto longius perſequendo, a veri via deflectant. Quamvis enim fieri non poſſit, ut principii illius immaterialis, intelligentis, atque immortalis, quod in nobis eſt, quodque animam vocamus, eſſentiam & naturam intimam comprehendamus, aut, quomodo id agat, vel patiatur, cognoſcamus: dubitare tamen non licet, reciprocum animæ & corporis commercium eſſe, motuſque animales ab iis rebus, quæ ſolam mentem afficiant, æque mutari poſſe, atque ab his, quæ proxime in corpus incurrant.

Plerique morbi, quibus corpus humanum obnoxium eſt, a mutationibus, quas res, proxime in corpus agentes, efficiunt, naſcuntur. Atque hinc medicinæ poteſtas, ſiquidem artis hujus auxilio ſæpe corporis ſtatum mutare, atque ita motus inordinatos, in illo incidentes, componere poſſumus.

Medicina effectus ſuos edit partim per vires, quas Phyſiologi inanimatas nominant, partim per peculiarem quamdam proprietatem, quæ irritabilitas *) appellatur, fibriſque animalium motricibus inſita eſt.

*) Quum irritabilitas mobilitatem fibrarum neceſſario involvat, pro peculiari quadam proprietate eam haberi, neceſſe non eſt.

Virium inanimatarum appellatione omnes eæ vires

comprehenduntur, quæ in partibus ſolidis cohærentiam efficiunt, vel in fluidorum particulis inſenſilibus varios illos motus inteſtinos excitant.

Ut animæ, ita harum quoque virium, eſſentia & natura intima Philoſophis ignota eſt, qui nihil aliud certo ſciunt, niſi vires illas exiſtere, pluribus materiæ generibus ineſſe, humanaque arte vel cohiberi, vel incitari poſſe.

Vires hæ in univerſum attractio & repulſio electiva nominantur, quod particulæ quaſi eligendi facultate, qualia attrahant, vel repellant, præditæ eſſe videntur.

De irritabilitate nihil dicere poſſumus, niſi proprietatem eſſe, fibris animalium motricibus inſitam, nec tale quid in vita vegetabili obſervari, niſi proprietatem, plantis ſentientibus inſitam, ad irritabilitatis indolem accedere, concedamus.

Per hanc proprietatem fibræ muſculares, & eæ, ex quibus vaſorum, canalium, ac receptaculorum, tunicæ contextæ ſunt, ſua velut ſponte moveri conſpiciuntur, alternis vicibus ſeſe contrahentes & relaxantes, etiam tum, quum exſectæ atque a corpore ſejunctæ ſunt, admotiſque variis rebus, motus earum cohiberi, vel incitari poteſt.

Demonſtrarunt hoc experimenta numeroſiſſima, a pluribus auctoribus vulgata, ex quibus, generalem humorum in ſyſtemate vaſculari circuitum, nec non etiam varias illas excretiones, motumque periſtalticum totius canalis cibalis, ab irritabilitate potiſſimum dependere apparet.

Hæc proprietas pariter pro neceſſario motus voluntarii fundamento habetur. Etenim, ſi comparatione uti liceat, anima ſingulos, aut plures muſculos, niſi fibræ eorum in univerſum irritabiles eſſent, movere non magis poſſet, quam muſicus ſonos ex fidibus elicere, niſi harum nervi eſſent elaſtici.

Atque, ſi in iſta ſimilitudine pergendi venia detur,

motus & actiones vivorum animalium cum ſonis muſicis comparari poſſunt, qui omnes ab inſtrumentorum, certa ratione conſtructorum, atque ex materia, certis proprietatibus internis prædita, confectorum, & virium externarum, inſtrumenta illa moventium, conjunctione naſcuntur. Animam enim a corpore ac proprietatibus, materiæ id componenti inſitis, æque diſtinctam nobis repræſentare debemus, ac muſici manum ab inſtrumento, quod movet.

Quemadmodum modulationis muſicæ perfectio a peculiari inſtrumenti mechaniſmo, a materiæ, id componentis, ſtatu præſenti, quod ad elaſticitatem, cæteraſque proprietates, attinet, & a muſici ſolertia, conjunctis, dependet: ſic actionum animalium perfectio a corporis fabrica, ab irritabilitatis viriumque inanimatarum ſtatu præſenti, & a peculiaribus animæ viribus, conſociatis, repetenda eſt.

Si inſtrumenti muſici fabrica manca, vel læſa eſt, aut ſi materiæ, id componentis, proprietates internæ imperfectæ, vel turbatæ ſunt, incondita erit muſica, & nemini non diſplicebit, etiamſi muſicus omnem adhibeat ſolertiam. Simili ratione, ſi corporis animalis fabrica manca eſt, aut ſi materiæ, unde componitur, proprietates internæ turbatæ ſunt, actiones inordinatæ atque imperfectæ erunt, tametſi anima omnes ſuas vires peculiares impendat.

Conjuncta igitur principii intelligentis, virium inanimatarum, & irritabilitatis opera, omnis illa motuum atque actionum varietas in corpore vivo perficitur.

Naturæ vocabulo, quod ſcriptores medici toties uſurpant, virium illarum ſummam ſignificamus, atque hoc ſenſu a natura œconomiam animalem adminiſtrari, ſanitatem corporis conſervari, & morbos ſæpe ſanari dicimus.

CAPUT IV.

Motus ſyſtematis vaſcularis, nervoſi, & cellularis.

INDICATIS viribus, quæ conſociatæ corpus animant, ſequitur, ut earumdem, ſimul agentium, motus atque actiones exponamus.

MOTUS SYSTEMATIS VASCULARIS.

In ſyſtemate vaſculari motus ſatis evidentes ſunt, & demonſtrationem admittunt: in nervoſo autem ex analogiâ dumtaxat, atque effectuum obſervatione, argumentari licet.

Cor, uti ſyſtematis vaſcularis centrum eſt, ita pro primo ejuſdem motore non ſine veri ſpecie habetur.

Cor majore irritabilitate, quam quivis alius in toto corpore muſculus, præditum eſt. Motus ejus in alternis contractionibus & dilatationibus (ſyſtolen & diaſtolen nominant) conſiſtit. Sub ſyſtole ſanguis ex ventriculis expellitur: ſub diaſtole autem ab auriculis ſinubuſque venoſis recipitur. Sed, præter hos motus, tertius obſervandus eſt, ſubſultans, quo apex cordis ſubrigitur, & coſtas ferit: id quod manus, ſiniſtro pectoris lateri admota, perſpicue ſentit.

Motus hic ſubſultans eodem temporis articulo, quo ſyſtole, contingit, nec, niſi robore propemodum exhauſto, ceſſat. Sed, ubi vires vitæ inſigniter fractæ atque debilitatæ ſunt, ſentiri vix poteſt, & ſola ſyſtole manet, quæ ventriculis evacuandis, vitæque ad aliquod tempus prorogandæ, ſufficit.

Motus ſubſultans, ex recentioris cujuſdam ſcriptoris *) ſententia, toti ſyſtemati arterioſo ineſt, ab

*) In Actis Academiæ regiæ ſcientiarum Pariſi-

eoque arteriarum pulſatio præcipue derivanda eſt, quæ cordis pulſationi tam exacte reſpondet. Corde enim valide agente, valida eſt arteriarum pulſatio, & contra debilem cordis pulſationem debilis quoque arteriarum actio comitatur. Unde, quam utilis ſit pulſuum exploratio, apparet.

Quum theoriæ mechanicæ inter Phyſiologos præcipue dominarentur, multi Viri ingenioſi eas adhibuerunt ad æſtimandum cordis robur, ac pondus, cui exæquando illud in contractionis momento par ſtatui poſſet.

Sed, ſi reputamus, quantopere ſummæ, ab iis ſubductæ, inter ſe differant, dubium nobis eſſe plane non poteſt, quin omnes iſtæ ſupputationes vanæ atque inanes ſint.

BORELLUS liquidis rationibus demonſtraſſe ſibi viſus eſt, vires cordis ponderi 180000, librarum

næ anni 1765, exſtat commentatio *de cauſa pulſationis arteriarum*, auctore DE LAMURE, in qua Vir clariſſimus, commemoratis antiquiorum ac recentiorum Phyſiologorum de cauſa pulſationis arteriarum ſententiis, contra opinionem vulgo receptam probare conatur, cauſam pulſationis arteriarum non in hoc uno ſitam eſſe, quod arteriæ a repentino preſſus lateralis in tunicas ipſarum cedentes incremento, ſanguinis, in eas impulſi, columnis continenter ſuccedentibus, dilatentur, ſed totum canalem loco ſuo moveri, ad ſimilitudinem motus ſubſultantis cordis.

Concedit, arterias eodem tempore dilatari, quo cor contrahatur: ſed probat, ab hac dilatatione vehementem illum ictum, qui pulſum conſtituat, non proficiſci, incrementumque diametri tam exiguum eſſe, ut neque ſub aſpectum, neque ſub tactum, niſi in vaſis majori-

æquales eſſe: KEILII autem calculus vim cordis ſiniſtri ad pondus quinque unciarum depreſſit.

JURINUS robur univerſum quindecim libris & quatuor unciis, TABOR centum & quinquaginta libris, HALESIUS quinquaginta circiter libris & uni æquale ſtatuit.

Similis differentia occurrit, ſi calculos examinemus, ad quos ſanguinis velocitatem, vel copiam, exegerunt, ſic, ut iſtæ res, ad pondus vel menſuram relatæ, ſemper exiguam tantum probabilitatem habituræ eſſe videantur.

Summa illa irritabilitas, qua cor omnes reliquos muſculos ſuperat, facultatem ipſi præbet motus ſuos redintegrandi, etiam tum, quum actio ejus ceſſaſſe viſa eſt. Atque hinc vera intelligitur methodus homines, aqua vel reſte ſuffocatos, in vitam revocandi, quæ huc redit, ut ſanguis, in auriculis ſinubuſque venoſis ſtagnans, in motum

bus, veniat, quum tamen arteriarum valde exiguarum, velut harum quæ inteſtinorum tunicas perreptant, pulſatio & conſpici, & tangi poſſit, adeoque motui vibranti totius canalis, non ſoli dilatationi, ſive diametri incremento, tribuenda ſit.

Argumenta atque experimenta, quibus receptam opinionem oppugnavit, ſatis probabilia ſunt: modum autem, quo arteriæ locum ſuum mutent, explicare fruſtra tentavit. Nihilominus ſententia ipſius vera eſſe poteſt, ſiquidem eadem difficultas motum cordis ſubſilientem premit. Nemini dubium eſſe poteſt, quin cor ſubſiliat, & coſtas feriat: ſed quis Phyſiologus hujus rei rationem unquam reddet?

Summa commentationis LAMURIANÆ exhibetur in *Monthly Review*, *Volum. XLI. pag.* 518.

cieatur, atque ita in ventriculos propulſus, cor ſtimulet, ejuſque contractionem reſuſcitet.

Ab eadem hac ſumme irritabili cordis natura major illa febrium, quam quorumvis aliorum morborum, frequentia repetenda eſt. Quivis enim ſtimulus, vel in ſanguine generatus, vel in ipſum illatus, vix poteſt, quin cordis atque arteriarum actionem frequentiorem excitet.

Spatia, inter ſingulas contractiones media, ſicut etiam virium, a corde impenſarum, magnitudo, pro ſtatu habituque vel animi, vel corporis, variant.

Quum animus lætitia, vel ira, agitatur, cordis motus celeres ac fortes ſunt: quum ille autem mœrore, vel metu, deprimitur, hi tardi & debiles obſervantur. Eodemque modo res ſe habet in reliquis animi affectibus, quorum unuſquiſque peculiarem in ſyſtematis vaſcularis motus poteſtatem habet.

Quo ab infantia propius abſumus, eo cordis motus frequentiores ſunt: quo longius ætate provehimur, eo rariores evadunt.

Infantis femeſtris arteria intra ſexageſimam horæ partem centies & decies, viri autem quinquagenarii non amplius, quam ſexagies & quinquies, vel ſeptuagies, pulſat.

Feminæ, ſi cætera ſint paria, pulſum frequentiorem atque perturbationi opportuniorem, quam mares, habent. Quamobrem in artis exercitio ſemper ſollicite cavere debemus, ne quid ex cordis motibus ante decernamus, quam ætatem, ſexum, corporiſque habitum, probe diſtinxerimus. Magna enim hominum pars pulſum inſigniter frequentem, vel rarum habet, & bona tamen valetudine fruitur.

Vis arteriarum contractilis a duabus cauſis dependet, primum a fibris muſcularibus, unde tunicæ illarum contextæ ſunt, quas æque irritabiles, ac cordis carnem, eſſe, experimenta docuerunt, deinde a natura claſtica peculiaris cujuſdam ſubſtantiæ, quæ

arteriarum tunicas ex parte conſtituit. Conjunctæ hæ vires efficiunt, ut arteriarum tunicæ eodem temporis articulo, quo cordis vires deminuuntur, ſibi reſtituendis, atque ita ſanguini ad corporis peripheriam propellendo, ſufficiant.

Etſi ſanguinis per arterias motus magnam partem a cordis, tamquam centri, viribus dependet, his tamen non in totum adſcribendus eſt. Sæpius enim obſervare nobis licet, ſanguinis velocitatem interdum ab affectibus, animum commoventibus, interdum a ſtimulis, corpus laceſſentibus, in ſingulis vaſis, a corde remotioribus, augeri. Et poſteriori quidem momento, ſicut infra videbimus, inflammationis theoria potiſſimum nititur.

Supereſt aliud momentum, eidem theoriæ illuſtrandæ inſerviens, quæ vis derivationis ab Illuſtriſſimo HALLERO appellatur, efficitque, ut, vi reſiſtendi in tunicis vaſis cujuſdam ſanguiferi, ſive arteriæ, ſive venæ, per apertionem, rupturam, aliove modo imminuta, vel ſublata, torrens ſanguinis ſemper ad partem illam non reſiſtentem ruat.

Vis motus, quo vaſa minora prædita ſunt, quique vim cordis adjuvare videtur, ut circuitus in iis ſyſtematis vaſcularis partibus, quæ a centro longius abſunt, promoveatur, motus oſcillans vocatur.

Hic ipſe motus etiam in ſecretionis organis locum habere, circuitumque in vaſis ſecernentibus atque excernentibus promovere ſtatuitur. Sed vaſa hæc tam exigua, & in partibus glandulofis tam varie diſpoſita atque conſtructa ſunt, ut magnitudo motus in ſingulis organis vere æſtimari non poſſit. Plurimum eam differre, ex hoc manifeſtum eſt, quod nonnullas ſecretiones magna cum velocitate, alias cum inſigni tarditate fieri obſervamus. Pariterque evidens eſt, motus in vaſis ſecernentibus atque excernentibus eadem ratione, qua in ſanguiferis, non minus ab iis rebus, quæ animam afficiant, quam

ab his, quæ proxime in corpus agant, mutari poſſe.

Affectibus animum perturbantibus, vel certis rebus corpori admotis, ſecretiones accelerari, vel retardari, quotidie obſervamus.

Quamquam nullus humor, qui a ſanguine ſecernitur, apparatum ſibi proprium non habet: tamen, ſi qua ſecretio impediatur, alia quædam manifeſte augetur, ut æquilibrium ſervetur.

Apparet itaque, in tribus illis ſyſtematis vaſcularis partibus, hoc eſt, vaſis circulatoriis, ſecernentibus, & excernentibus, motus a vi cordis vel primum oriri, vel magno certe opere adjuvari. In vaſis autem abſorbentibus motus fluidorum contentorum unice a vaſorum vi dependere oportet, excepto illo ſubſidio, quod muſculorum atque arteriarum adjacentium preſſus lateralis affert.

Et lactea vaſa, & valvuloſa limphatica, ſumme irritabilia eſſe, experimenta, in animalibus vivis facta, demonſtrarunt. Unde colligere licet, vim fluida, in ipſis contenta, propellendi ab illorum irritabilitate eſſe repetendam. Sed vaſa abſorbentia ab animæ vi ſola minus facile affici poſſe videntur, quam tria reliqua vaſorum genera, quæ ſyſtema vaſculare conſtituunt.

MOTUS SYSTEMATIS NERVOSI.

Perſecuti ſumus illam ſolidorum vivorum partem, cujus motus evidentes ſunt. Alterius partis, quam ſyſtema nervoſum conſtituit, motus non, niſi conjectura probabili, nituntur.

Experimenta, in comprimendis vel diſſecandis chordis nerveis animalium vivorum facta, ſatis abundeque demonſtrarunt, per hæc fila tenuem quemdam liquorem tranſmitti & diſtribui, qui a cerebro deſcendat, ac ſaltem non modo indubium & neceſſarium ſenſus motuſque voluntarii inſtru-

mentum ſit, verum etiam corpori vivo robur ſuppeditet.

Sed utrum hic liquor in minutis tubulis contineatur, an ſecundum filorum ſolidorum tractum deferatur, Phyſiologi prorſus ignorant. Iidemque nec modum, quo liquor nerveus moveatur, nec proportionem, qua diſtribuatur, ſe noſſe profitentur.

Statuunt omnino, ſyſtema nervoſum, dum vita maneat, in perpetuo motu vibrante conſtitutum eſſe, non tali quidem, qualis in chordis elaſticis obtineat, quas inter & nerveas ne minima quidem intercedat ſimilitudo, ſed tali, qualis in fluidis inſit elaſticis. Sed hæc certe, ſicut quævis alia de nervis theoria, mera conjectura eſt. At quum talis conjectura nihil abſurdi habeat, ex eaque minimum de nervorum morbis, quos infra explicituri ſumus, perſpicue diſſeri poſſit, motum illum vibrantem in chordis nerveis ponere non dubitamus, per quem ſenſus organa & motus inſtrumenta idonea evadant, in quibus anima vires ſuas exerceat.

Quod ſi motum hunc vibrantem, perpetuamque liquoris nervei diſtributionem, admittamus, æquum & verum eſt, ut motus ſyſtematis nervoſi ſecundum naturam æquabiles, moderatos, atque liberos eſſe dicamus, perinde ac ſyſtematis vaſcularis motus in ſanitate abſoluta tales eſſe, pulſus nos docet.

Baglivus & Hofmannus, cum diſcipulis ſuis, primum ſyſtematis nervoſi motum ad duram matrem, ſicut vaſcularis ad cor, referunt, ac membranæ iſti vim alternæ contractionis & dilatationis tribuunt, quæ liquorem nerveum eodem, quo cor ſanguinem, modo propellat.

Sed, ſi membranam iſtam, cujus fabrica nihil muſculoſi habet, quæque tot locis cavæ calvariæ adhæreſcit, vel obiter adſpicias, dubitare profecto non potes, quin exercendæ huic vi plane impar ſit. Duplex omnino univerſi cerebri elevatio atque ſubſiden-

tia eſt, quam obſervare licet, ſi, parte aliqua calvariæ remota, dura mater digito deprimitur. Ita enim cerebrum, quoties cor in ſyſtole eſt, aſſurgere, ſub diaſtole autem ſubſidere videbimus: idemque, dum animal ſpiritum emittit, attolli, dum attrahit, ſubmitti apparebit.

Per totum ſyſtema nervoſum generalis quidam, quem vocant, conſenſus obtinet. Quocirca ſæpe numero animadvertimus, motum ſenſumque excitari in partibus, quæ a nervis affectis remotæ ſunt, neque ullum cum iis nexum habere videntur. Hic conſenſus συμπάθειαν conſtituit. Sic capitis ictus ventriculum turbat, ejus motum invertit, ac vomitum provocat: & contra ſaburra noxia, ventriculo incumbens, vehementem capitis dolorem movet.

Quomodo variæ illæ συμπάθειαι fiant, Phyſiologi non magis explicare poſſunt, quam quæ ſit nervorum fabrica intima, quæ liquoris nervei natura, quaque ratione is moveatur.

Quum ſingulorum morborum naturam inveſtigabimus, præcipuas συμπαθείας, prout a Medicis expertis obſervatæ fuerunt, indicabimus, ſiquidem nexuum horum notitia facem nonnunquam præfert in dirigendo remediorum uſu, non item in explicandis morborum cauſis. Quod ſi enim, exempli gratia, caput ob συμπάθειαν cum ventriculo dolere dicas, & alter ex te quærat, quid ſit συμπάθεια, reſpondere te oportet, συμπάθειαν eſſe partis alicujus in corpore vivo affectionem, quæ alius cujuſdam partis affectionem conſequatur, atque ita conficitur, caput ideo male affectum eſſe, quia ventriculus male affectus ſit. Quorſum omnis, quam hujus modi diſputatio afferre poteſt, utilitas redit.

MOTUS SYSTEMATIS CELLULARIS.

Reſtat, ut motus, in ſyſtemate cellulari contingentes, conſideremus.

Quum ſolida, quæ ſyſtema cellulare componunt, penitus inertia, omnique illa motus ſpontanei vi, quæ ſolidis vivis ineſt, carere videantur, neceſſarium eſt, ut motus, quo fluida in hoc ſyſtemate propelluntur, quantus quantus eſt, a vaſorum limphaticorum valvuloſorum vi abſorbente, oleoque & limpha, per poros, in variarum corporis partium ſuperficie, hiantes, exſudante, proficiſcatur.

Vis gravitatis attrahens, ſi non prorſus nihil, certe perparum, in fluida ſyſtematis vaſcularis poteſt, quæ contra pondus æque libere, atque eo conſentiente, moveri videas. Neque effectus illius in cellularis ſyſtematis fluida, dum corpus ſanum eſt, & bene valet, admodum conſpicui ſunt.

Sed, ubi robur deficit, circuituſque humorum debilis ac languidus evadit, tum vaſa abſorbentia officio ſuo negligentius fungi, & fluida ſyſtematis cellularis accumulari, deorſum labi, atque in artubus inferioribus, ac partibus corporis declivibus, deponi incipiunt. Hinc pedum œdemata in ſenibus, & his, quos morbi, victus pravus, vel evacuationes profuſæ, debilitarunt.

Omnes hi motus, de quibus hactenus diximus, ad eum fluidorum animalium motum pertinent, quo ab una vaſorum, vel cavorum, ſerie ad alteram tranſferuntur. Sed præter hunc motus inteſtinus eſt, ad eum, quem fermentationis, effervescentiæ, atque ebullitionis nominibus deſignant, aliquantum accedens, qui in particulis inſenſilibus obtinet, ac fluida ad ingentem novorum compoſitorum varietatem formandam idonea reddit.

Motus hic inteſtinus in ſuccis vegetabilium vivo-

rum demonſtrari poteſt, in quibus quum partes continentes motus ſpontanei vi, ad modum irritabilitatis, in fibra animali conſpicuæ, deſtituæ ſint, circuitum ſuſtentare videtur. Nec dubium eſt, quin ſimilis motus inteſtinus ad circuitum in vaſis animalium minoribus, tam longe a corde remotis, ſuſtentandum faciat, &, ſtimuli vice fungens, ſolida viva irritet. Itaque in corpore animali motus in orbem redit, ſolidis vivis fluida propellentibus, hiſque viciſſim vaſa, quibus continentur, ſtimulantibus.

CAPUT V.

Actiones, a facultatibus animalibus appetendi, cognoſcendi, & loco movendi, proficiſcentes.

OMNIA animalia viva tres facultates habent, quarum gradus proportioneſque pro ordinibus, quos CREATOR illis aſſignavit, differunt.

Facultates hæ ſunt facultas appetendi, ſive deſiderandi, facultas cognoſcendi, ſive res objectas diſtinguendi, & facultas loco movendi.

Homo quum inter res, in hac terra creatas, principem locum obtineat, iis facultatibus prædituſ eſt, quæ cæterorum animalium, rationis expertium, facultates longiſſime ſuperent. Corpus ejus, quod ad totum attinet, ita conſtructum atque concinnatum eſt, ut vel perfectiſſimis horum corporibus antecellat: anima autem actionibus tam excelſis edendis ſufficit, ut in reliquis animantibus, hominis dominationi ſubjectis, nihil par, aut ſecundum, reperire liceat.

Factum hinc eſt, ut Philoſophi facultates in inferiores, quæ homini cum mutis animalibus commu-

nes ſunt, & ſuperiores, quæ ipſi propriæ ſunt, confeſſumque illum primatum tribuunt, dividerent.

Utramque facultatum ſpeciem variis diſtinxerunt appellationibus: ſed inſtituti noſtri ratio non requirit, ut ad ſingularum enumerationem deſcendamus, neque phyſiologia aliud poſtulat, niſi ut varias illas corporis actiones conſideremus, quæ vel voluntariæ ſunt, vel ſponteneæ, vel mixtæ.

Voluntariæ actiones eæ ſunt, quæ, a ratione & voluntate proficiſcentes, cum majore minoreve deliberatione atque conſcientia exercentur.

Spontaneæ actiones eæ ſunt, quæ ex inſtinctu & appetitu profluunt, nec rationis ac voluntatis imperio ſubſunt. Hoc genus ſine conſcientia atque deliberatione fit.

Mixtæ actiones eæ ſunt, in quibus difficile dictu eſt, utrum rationis, an inſtinctus, appetitus, an voluntatis, partes potiores ſint.

In omnibus his actionibus, ſive voluntariis, ſive ſpontaneis, ſive mixtis, ſemper conſiderare debemus, ad eas perficiendas in ſtatu habituque corporis, tantumdem momenti ſitum eſſe, quantum in ſtatu habituque animæ; cujus cum corporis organis commercium tam arctum myſteriique plenum eſt. Tres enim illæ facultates, appetendi, cognoſcendi, loco movendi, quæ omnium actionum animalium ſcaturigines ſunt, a rebus corpori admotis, æque facile, atque a vi mentis, afficiuntur.

Ita, ut exemplo admodum vulgari de appetendi facultate utamur, hominis, inedia pæne confecti, ſed herbæ nicotianæ uſui non aſſueti, ori folium hujus plantæ ingere, &, elapſa duodecima horæ parte, famem non amplius ſentiet, ac, quum modo cibis avidiſſime inhiaſſet, nauſea nunc, vel ipſo vomitu, afficietur.

Iſta appetitus mutatio a mutationibus, in corpore factis, neceſſario proficiſcitur, tametſi, quales hæ

ſint, definire non liceat. Pone jam rurſus, famelicum iſtum herbam nicotianam non attigiſſe, ſed eo ipſo temporis momento, quo prandium capturus eſt, de morte cariſſimi atque intimi cujuſdam amici nuntium afferri: ſtatim fames ceſſabit, neque is de cibo cogitabit, donec motus animi turbulentus, quem inexſpectatus iſte nuntius conciverat, tranquillatus fuerit.

Hìc appetitus mutationem a mutationibus, in mente factis, atque ab ea ad corpus translatis, oriri, neceſſe eſt.

Sed tanta eſt vis conſuetudinis, quam quotidiana experientia demonſtrat, ut, ſi quis in uſu herbæ nicotianæ perſiſtat, quantamcumque inde nauſeam initio ſenſerit, brevi tamen poſt nihil amplius mutationis, aut turbarum, experiatur. Tuto igitur affirmare nobis licet, ſi fieri poſſit, ut ſingulis diebus triſtis quidam, aut lætus, nuntius nobis afferatur, haud ita longo temporis ſpatio futurum eſſe, ut a neutro poſthac magnopere commoveamur.

Conſuetudo, ne actionum, quas exſequimur, conſcii ſimus, & tandem, ut ipſæ illæ actiones, quæ pro voluntariis habentur, ſub voluntatis imperio eſſe deſinant, efficit.

Atque hæc præcipua ratio eſſe videtur, cur cordis & organorum, reſpirationi inſervientium, actiones, quamdiu faciles atque æquabiles ſunt, ſine noſtra illarum conſcientia perficiantur.

Quum cor ab ipſis vitæ primordiis in motu conſtitutum fuerit, actio hujus muſculi ex toto ſpontanea evadit, neque ſiſtendæ, aut regendæ ejus, poteſtas voluntati relinquitur. Sed muſculorum, reſpirationi inſervientium, nonnulli in actionibus mere voluntariis verſantur, ac voluntati obtemperare conſueverunt. Quare hæc actio animæ imperio quadamtenus obnoxia eſt, tametſi penitus eam hoc modo ſiſtere, in poteſtate noſtra non ſit, propter ſummam anxietatem,

tem, quam interruptio iſta pareret. Hæc enim ſentientis illius atque intelligentis principii, corpori juncti, proprietas eſt, ut, turbatis, vel intermiſſis, aliquibus majoris momenti motibus, protinus moleſtiam ſentiat.

Hîc igitur generales morborum fontes obſervare poſſumus. Atque hæc, ſummatim propoſita, ſufficiant de ſtatu œconomiæ animalis in ſanitate abſoluta, quæ omnes animæ corporiſque vires, ætati, ſexui, & conſtitutioni, convenientes, plene, ac ſine ullo doloris, aut moleſtiæ, ſenſu exercendi facultas eſt. Status contrarius morbus dicitur.

INTRODUCTIONIS METHODICÆ IN THEORIAM MEDICINÆ

LIBER II.

Analyſis morborum.

CAPUT I.

Conſpectus generalis ſymptomatum, ſive partium, morbos componentium.

DIXIMUS de his, quæ ſanitatem conſtituunt. Progredimur ad pathologiam, hoc eſt, eam medicinæ partem, quæ, ſemota ſingulorum morborum ratione, de ſtatu morboſo generatim atque univerſe exponit.

Ad naturam morborum ſi attendas, eos ſemper in uno atque altero moleſtiarum, vel debilitatum, genere conſiſtere intelliges. Si quem enim, quocumque morbo laborantem, examines, nunquam de una tantum re, ſed de pluribus, quæ male ipſum habeant, conqueretur.

Unaquæque harum rerum, ſingulatim ſpectata, a Medicorum filiis ſymptoma appellatur.

Atque hinc intelligi poteſt, quid ii ſcriptores ſibi velint, qui morbum ſymptomatum, inter ſe connexorum, concurſum eſſe dicunt.

Symptomata vel generalia ſunt, vel topica: eadem vel alterutri ſexui, vel infantiæ, propria ſunt.

Symptomata generalia ſunt debilitates, dolores &

moleſtiæ, quæ, totam machinam afficiendo, univerſam œconomiam animalem perturbant.

Symptomata topica ſunt vitia, quæ ſingulis tantum corporis organis, vel partibus, inſident, nec univerſam œconomiam animalem interrumpunt, aut perturbant.

Symptomata ſexualia ſunt moleſtiæ, debilitates, & vitia topica, quæ ab organorum, ſexus diſtinguentium, fabrica diverſa, rebuſque utrique ſexui proprie adjunctis, dependent.

Symptomata infantilia ſunt affectus morboſi, qui in ſolis infantibus, recens natis, vel dentientibus, incidunt.

Quum methodus analytica, res in partes conſtituentes, quouſque fieri poteſt, reſolvens, reſolutaſque ſeorſim examinans, ad ſummi momenti res, in philoſophia naturali inventas, viam monſtraverit: eamdem nos quoque adhibebimus, ut, ſi fieri poſſit, veram atque genuinam morborum naturam eruamus. Itaque, quoniam ſymptomata partes, morbum componentes, ſunt, ea primum inveſtigare conabimur.

Numerus ſymptomatum generalium facile definiri poterit, ſi primum conditiones, ad totam œconomiæ animalis univerſitatem rite adminiſtrandam pertinentes, obſervemus, deinde, quæ a conditionibus illis deflectunt, vel iis contraria ſunt, conſideremus.

Tota œconomiæ animalis univerſitas rite adminiſtratur:

1) Si calor animalis neque minor, neque major eſt eo, qui ſenſationem gratam atque jucundam efficiat;

2) Si appetitus ad res ſibi naturales feruntur, certiſque temporibus & intervallis juſto modo redeunt;

3) Si nullus dolor eſt;

4) Si corpus non prurit;

5) Si ſomnus naturalis eſt, & corpus reficit;

6) Si nullus præcordiorum conſtrictorum, vel oppreſſorum, ſenſus eſt;

7) Si reſpiratio in totum libera eſt;

8) Si motus voluntarii, a muſculorum actione pendentes, ad voluntatis nutum cum facilitate, alacritate, & juſto vigore, perficiuntur;

9) Si facultas ſentiendi naturalis eſt, ſenſuumque externorum organa impreſſiones, quibus proprie adaptata ſunt, juſto modo recipiunt atque tranſmittunt;

10) Denique, ſi ſenſuum internorum organa ita comparata ſunt, ut anima impreſſiones, in externorum ſenſuum organa factas, vel notiones, ex memoria atque imaginatione natas, clare percipere, vereque de iis judicare poſſit.

Examinemus jam, quæ decem his conditionibus ſint contraria.

Primum calori animali moderato & grato contrarius eſt ſenſus moleſti caloris, aut immodici frigoris: unde duæ affectus morboſi ſimplicis ſpecies emergunt, quæ totidem ſymptomata generalia exhibent.

Ab appetitu naturali deflectit, vel ei opponitur, faſtidium atque averſatio rerum, propriam illius materiam conſtituentium, in eoque tertium ſymptoma generale conſiſtit, quod, ad cibos relatum, nauſea vocatur. Eidem contrarius quoque eſt appetitus, præter naturam ita auctus, ut a deſiderii vehementia affectus morboſi procreentur. Oriuntur hinc ſitis nimia, fames, quam vulgo caninam vocant, ſatyriaſis, furor uterinus. Tres autem poſteriores affectus quum longe rariſſimi ſint, nullam eorum rationem in præſentia habebimus. Sed ſitis nimia tam frequens in morbis eſt, ut eam pro quarto ſymptomate generali merito ponamus.

Tertiæ & quartæ conditioni dolor & pruritus contrarii ſunt.

Quintæ agrypnia, dolorem ac pruritum neceſſario comitans, vel conſequens, & ex diverſo inſolita atque morboſa in ſomnum propenſio,

Sextæ præcordiorum conſtrictorum, vel oppreſſorum, ſenſus, quam anxietatem nominant.

Septimæ ſpirandi difficultas.

Octavæ muſculorum debilitas atque relaxatio, eo ingraveſcens, ut vires reſiduæ corpori commode ſuſtinendo, ac voluntatis imperiis exſequendis, non ſufficiant, & diverſa ex parte ſpaſmus, ſive convulſio, quum muſculi præter voluntatem agunt, nec nunquam inuſitatum ſtupendumque robur exſerunt. Quæ duo, præcedentibus addita, undecimum & duodecimum ſymptoma generale conſtituunt.

Inſenſibilitas ad rerum externarum contactus atque impreſſiones, &, quæ huic contraria eſt, nimia ſenſibilitas, ſive major naturali ad irritabilitatem proclivitas, decimum tertium & decimum quartum ſymptoma generale exhibent, utpote a nona ſanitatis abſolutæ conditione deflectentes, eique oppoſitæ.

Decimum quintum denique ſymptoma generale eſt illa omnium ſenſuum internorum perturbatio, quod delirium appellatur, quum mentis facultates rite exerceri non poſſunt, ſed memoriæ, imaginationis, judiciique vires debilitatæ, confuſæ, atque perverſæ ſunt.

Quindecim horum affectuum morboſorum ſimplicium unumquemque ita conſiderare licet, quaſi per ſe ſine cæteris poſſit exiſtere. Sed, quandoque exiſtunt, totam machinam afficiunt, atque univerſam œconomiam animalem perturbant. Atque hinc ſymptomatum generalium nomen iis dedimus, ut ab his diſtinguerentur, quæ topica tantum ſunt, atque a ſingularum partium vitiis oriuntur. Si quis enim nullum ex generalibus his ſymptomatibus ſentiat, eum, quod ad œconomiam animalem in univerſum attinet, ſanum eſſe, largiri debemus, tametſi nihil obſtet, quominus ſingularis cujuſdam organi vitio laboret. Placet rem exemplo illuſtrare. Pulmonum actionem tuſſis turbare poteſt, quam materia quædam irritans, in larynge, vel profundius in arteria aſpera, hærens, movet: aut

parvi illi ductus & oſcula, quæ ſecundum naturam limpham ac mucum inteſtinis lubricandis excernunt, ſic irritari poſſunt, ut ſolito majorem humorum iſtorum copiam effundant, atque ita alvi profluvium excitent. Sed tuſſis illa, niſi alia accedant ſymptomata, velut dolor, ſpiritus difficultas, ſomnus inquietus, ciborum appetentia dejecta, morbi nomen non merebitur, homoque, eam patiens, raro Medici auxilium implorabit. Neque etiam levior illa diarrhœa in morbis numerabitur, niſi unum alterumque ex quindecim illis ſymptomatibus generalibus ipſam comitetur, ſiquidem pro explorato atque comperto habemus, donec unumquodque iſtorum ſymptomatum arcere liceat, corpus nulla inſigniore moleſtia affectum iri.

Quum certa ſymptomata, generalia, æque ac topica, plerumque connexa inter ſe & conſociata obſerventur, utpote ab iiſdem motuum animalium mutationibus oriunda: hi ſymptomatum concurſus variis nominibus, ut febris, pleuritidis, dyſenteriæ, &c. diſtincti ſunt, atque ita integram morborum cohortem conficiunt.

Scientia hos ſymptomatum concurſus, fonteſque, unde proveniunt, diſtinguendi, verum ac genuinum praxeos rationalis fundamentum eſt, quoniam, ægrum curantes, raro ſingulorum ſymptomatum rationem habemus, ſed potius, fonte totius concurſus detecto, ipſam radicem aggredimnr, quodque in motibus animalibus depravatum eſt, corrigere conamur.

Fieri autem non poteſt, ut hanc ſcientiam conſequamur, niſi natura atque effectibus ſingulorum ſymptomatum generalium prius ſeorſim conſideratis, & fonte, ex quo manant, reperto. His enim ſingulatim conſideratis, eorumque cauſis perveſtigatis, res poſtea comparando, facile videbimus, multis horum ſymptomatum eamdem eſſe originem, atque inde intelligemus, quomodo fiat, ut plura ex illis quaſi inſeparabilia ſint, nec unquam in eodem concurſu non coëant.

CAPUT II.

Quomodo cauſæ morborum diſtinguantur.

EA pathologiæ pars, quæ in explorandis morborum cauſis verſatur, ætiologia dicitur.

In explananda ætiologia ſemper operam dare oportet, ut illæ corporis mutationes, quæ omni tempore, atque in omnibus hominibus, morboſum aliquem affectum procreant, accurate ab his rebus diſtinguantur, quæ ſic demum nocendi vim habent, ſi ea ſit corporis conditio, quæ cum ipſis conſpiret.

Illuſtrandæ huic rei eſſe poteſt variolarum inſitio. Exiguum pus, quod contactu inficere experientia docuit, per parvum vulnus, cuti inflictum, in corpus ita introducitur, ut cum fluidis animalibus commiſceatur. Si, qualis requiritur, corporis conditio eſt, novem decemve a pure introducto diebus, plura in eo comparent ſymptomata, quæ conjuncta morbum illum conſtituunt, cui variolarum nomen eſt. Primum oppreſſio præcordiorum ſentitur, cujus, comites ſunt nauſea, vel forte vomitus, dolor dorſi, & moleſtus frigoris ſenſus. Paucis horis poſt frigori calor inſolitus ſuccedit, cum ſiti & agrypnia. Omnia autem hæc ſymptomata ita tantum in corpore incidunt, ſi ea eſt illius conditio, quæ miaſmatis actionem adjuvet. Alia enim ſi eſt, ſive quod homo variolis olim laboravit, ſive ob aliam quamdam rationem, quam inveſtigando eruere non poſſumus, nulla a pure introducto accidit mutatio, ſed eadem, quæ antea fuit, ſanitas manet.

Ex quo patet, pus illud introductum, quod prima ſpecie facillime proxima variolarum cauſa videri poſſit, nihil eſſe, niſi cauſam remotam, contingentem, poſſibilem, unde mutationes, quæ varia illa ſympto-

mata conſtituunt, pro hac illave corporis conditione, proficiſci poſſint, vel non poſſint, proximaſque præcordiorum oppreſſorum, nauſeæ, immodici frigoris, ac reliquorum ſymptomatum cauſas, in mutationibus corporis, motus fluidorum animalium neceſſario turbantibus, conſiſtere.

Noſtrum igitur eſt invenire, quæ ſint hæ mutationes, a quibus ſimplices illi affectus morboſi tam conſtanter naſcuntur.

Facile intelligitur, & corporis mutationes, in quibus proximæ morborum cauſæ ponuntur, & corporis ad morbos proclivitatem, ſine cujus cum cauſis remotis ac poſſibilibus conſpiratione nullum omnino ſymptoma generale oriri poteſt, res ita comparatas eſſe, ut nulli prorſus ſenſui externo pateant. Ecquis enim rationem reddat, cur hoc tempore ea ſit corporis humani conditio, ut a pure variolarum infici poſſit, alio non item? Aut quis tam Lynceus eſt, ut eas corporis mutationes diſcernat, quas varia illa, quæ diximus, ſymptomata conſequuntur? Diſputari hæc quidem, ſed nunquam ſenſuum teſtimonio demonſtrari, extraque omnem controverſiæ aleam poni poſſunt. Atque hinc diverſæ illæ, quæ adhuc fuerunt, & in poſterum etiam erunt, Medicorum de cauſis morborum opiniones. At ſummum tamen medicinæ rationalis momentum in eo poſitum eſt, ut, quam fieri poteſt, clariſſime res iſtas perſpiciamus. Alioquin in artis exercitio nihil aliud quidquam, niſi empirici, erimus.

Ante omnia igitur hoc agere debemus, ut quindecim illorum ſymptomatum, ſuam cujuſque naturam explicemus, effectus oſtendamus, cauſamque proximam inveſtigemus. His enim, tamquam fideliſſimo fundamento, naturæ morborum cognitio innititur, quippe qui nihil aliud ſunt, niſi totidem ſymptomatum generalium, variis rationibus inter ſemetipſa & cum vitiis topicis mixtorum, concurſus.

Proponemus igitur quindecim illa ſymptomata generalia eodem, quo enumerata fuerunt, ordine, &, quum tota noſtra pathologia ipſis ſuperſtruatur, primum tabulam eorum ſynopticam ſubjungemus, decem illis ſanitatis abſolutæ conditionibus exadverſum collocatam.

In ſtatu ſano	In ſtatu morboſo eſt
I. Calor animalis moderatus eſt.	I. Senſus caloris nimii. II. Senſus frigoris nimii.
II. Appetitus ad res, ſibi naturales, feruntur, certiſque temporibus & intervallis juſto modo redeunt.	III. Nauſea. IV. Sitis nimia, ſive polydipſia.
III. Nullus dolor eſt.	V. Dolor.
IV. Nec pruritus.	VI. Pruritus.
V. Somnus naturalis eſt, & corpus reficit.	VII. Agrypnia. VIII. Somnolentia.
VI. Nullus præcordiorum conſtrictorum, vel oppreſſorum, ſenſus eſt.	IX. Præcordiorum conſtrictorum, vel oppreſſorum, ſenſus, quam anxietatem nominant.
VII. Reſpiratio in totum libera eſt.	X. Difficultas ſpirandi.
VIII. Motus voluntarii ad voluntatis nutum cum facilitate, alacritate & juſto vigore perficiuntur.	XI. Debilitas. XII. Spaſmus.
IX. Organa ſenſuum externorum impreſſiones, quibus proprie adaptata ſunt, juſto modo recipiunt, & tranſmittunt.	XIII. Inſenſibilitas, ſive anæſtheſia. XIV. Nimia ſenſibilitas, ſive hyperæſtheſia.

X. Organa ſenſuum internorum ita comparata ſunt, ut anima impreſſiones, in ſenſuum externorum organa factas, vel notiones, ex memoria atque imaginatione natas, clare percipere, vereque de iis judicare poſſit.

XV. Delirium.

CAPUT III.

Deſcriptio ſpecialis ſtatus motuum animalium, unde ſanitatis abſolutæ conditiones dependent.

ANTEQUAM in ſymptomata morborum inquirere incipiamus, neceſſarium eſt, ut de ſtatu motuum animalium, unde ſanitatis abſolutæ conditiones dependent, paulo ſpecialius exponamus.

Sanitas abſoluta eſt, quamdiu fluida animalia per omnes ſyſtematis vaſcularis & nervoſi partes æquabiliter, moderate ac libere moventur atque diſtribuuntur.

Nam ſi univerſa ſanguinis maſſa, ex corde emanans, omnes arteriarum ramos continenti & expedito curſu perfluit; ſi vaſa ſecernentia officio ſuo funguntur, varioſque illos humores ſeparant: reliquus autem ſanguis per venas a peripheria ad centrum eodem moderato tenore, quo a centro ad peripheriam cucurrit, refluit; ſi vaſa excernentia humores ſuos avehunt, eoſque, qui in receptaculis deponi debent, illic deponunt, excrementa autem ex corpore eliminant; ſi denique duplex illud vaſorum abſorbentium

genus fluida ſua ſine obſtaculo, aut ataxia, ſuſcipit ac vehit: tunc tota ſyſtematis vaſcularis univerſitas bene ſe habet.

Si nervi liquore ſuo rite impleti ſunt, iſque per omnia fila minuta libere, moderate & æquabiliter diſtribuitur, univerſum ſyſtema nervoſum bene ſe habet.

Canalibus itaque rite impletis, ac nerveo liquore, ut par eſt, ſuppeditato, omnia corporis organa ita comparata ſunt, ut idonea inſtrumenta eſſe poſſint principii illius ſentientis atque intelligentis, quod omnia animat, corpuſque omnibus actionibus & functionibus, cum facilitate, jucunditate, ac juſto vigore exercendis, par efficit.

Si moderatus, æquabilis & liber humorum per omnes utriuſque ſyſtematis partes circuitus ſanitatem abſolutam conſtituit, ſequitur, ut, quandoque vel vaſcularis, vel nervoſi, ſyſtematis motus intenduntur, remittuntur, turbantur, vel plane intermittuntur, neceſſario variæ moleſtiæ ac debilitates naſcantur, quæ, quamdiu motus animales de naturali ſua moderatione, libertate, atque æquabilitate deflectere pergunt, maneant. Sed, quando hi motus libertatem ſuam recuperant, & in ordinem reducuntur, omnis dolor ac moleſtia ceſſat, omneſque animi & corporis vires in priſtinum ſuum ſtatum redeunt.

Obſervabunt Lectores noſtri, in deſcribendo ſtatu corporis, ad ſanitatis abſolutæ conditiones implendas neceſſario, nullam adhuc ſyſtematis cellularis mentionem factam eſſe.

Enimvero omnia illa ſymptomata generalia proxime debentur mutationibus morboſis motuum, in ſyſtemate nervoſo & vaſculari contingentium: at morbos certe non raro a cellulari ſyſtemate repeti oportet. Solida enim inertia ſolidorum vivorum motus ſæpe impediunt, vel turbant, ſive particularum ſolidarum copioſior, quam pro rata portione,

acceſſus nimium iis rigorem inducat, ſive cava eorum fluidis adeo referta & oppleta ſint, ut vicina vaſa, vel fila nervea, comprimant atque oblitterent; ſive eædem hæc cellulæ ita exhauſtæ ſint, ut collabantur, earumque laminæ concreſcant; ſive denique in cellularum interſtitiis humores acres generentur, vel congerantur, qui fibras ac lamellas ſolidas deſtruant & colliquent, tandemque ſolida viva ita irritent, ut omnes illæ noxæ, quæ a proxima ſtimulorum actione in his creari poſſunt, naſcantur.

His præmiſſis, ad analyſin noſtram progrediamur, ſic, ut ſingulorum ſymptomatum generalium cauſas inveſtigemus, naturamque & effectus explicemus, initium facientes a calore immodico.

CAPUT IV.

Calor animalis immodicus tamquam ſymptoma generale, ſive affectus morboſus ſimplex, conſideratus.

INDE a thermometro invento ſcimus, naturalem corporis humani calorem nonageſimo ſexto circiter, vel nonageſimo ſeptimo ſcalæ Fahrenheitianæ gradui æqualem eſſe. Raro tamen in praxi vulgari de magnitudine caloris ad hoc inſtrumentum exigenda ſolliciti ſumus, ſed plerumque noſtro ipſorum tactui, vel ægrorum relationi, credimus. Nam ſi ægri fideliter deſcribere norunt, quemadmodum ſe habeant, judicium noſtrum illorum relationi ſemper accommodandum eſt. Et quamvis etiam calorem naturali majorem percipiamus: tamen, niſi alia quædam accedat moleſtia, eum in affectibus morboſis numerare non debemus. Eſt, exempli gratia, qui vehementiore corporis exercitatione, cibis largius conditis, vel potionibus vinoſis, ſe excalefaciat: ſed auctus

hic calor, niſi aliud quoddam ſymptoma generale, velut dolor, nauſea, vel debilitas, ipſum comitetur, brevi ad modum naturalem redit. Idem vero, ſi hæc, vel alia ſymptomata generalia accedant, pro affectu morboſo habetur, metuſque eſt, ne non ſtatim ſubſidat, ſed potius pedetentim ac gradatim increſcat, tantoque temporis ſpatio teneat, quantum, quæ adjuncta ſunt, momenta ſingularia definient. Hæc igitur eſt natura caloris animalis nimii, quem tamquam affectuum morboſorum ſimplicium ſpeciem conſiderari oportet.

Plures morboſi hujus caloris differentiæ ſunt. Primum is, quem pulſus evidenter fortes, pleni & celeres, magna cutis ſiccitas, ſitis immodica, pluriumque corporis partium dolores, comitantur, ab illo diſtinguendus eſt, cui gravis nauſea, ac præcordiorum oppreſſio, cum ſumma virium debilitate atque dejectione, accedit, quum arteriarum pulſationes interea neque fortes, neque plenæ ſint, manuſque, cutem cubantis tangentes, dolorem quemdam, a materiæ exhalantis acrimonia excitatum, non obſcure ſentiant. Prior calor morboſus febribus, inflammationes comitantibus, proprius eſt: poſterior non, niſi in pejoris notæ febribus putridis, occurrit.

Tertiam differentiam conſtituit calor morboſus, certo cuidam febrium generi proprius, qui non, ut duæ illæ, quas modo diximus, ſpecies, per dies continuos ſine remiſſione, aut intermiſſione, permanet, nec tam citam perniciem affert. Vocatur is calor hecticus, qui per intervalla revertitur, præcipueque in volis manuum, pedumque plantis, ſentitur, ubi, quamdiu tenet, major etiam ac torrentior eſt, quam in febribus putridis, vel inflammatoriis.

Quartam denique differentiam efficit calor quidam, repente ictuque temporis emicans, qui minime omnium terrere nos debet. Proprius eſt morbis, in quibus ne minima quidem febris apparet, & ubi hujus

generis ſymptomata vulgo nervoſa, ſive hyſterica, nominantur.

Progrediamur nunc ad cauſas caloris hujus morboſi probabiles reddendas.

In univerſum pro certo ponere licet, proximam ac veram hujus ſymptomatis cauſam eſſe motum ſyſtematis vaſcularis auctum. Etenim, undecumque primam caloris animalis cauſam repetas, aucta circuitus humorum velocitate, calorem quoque internum augeri, exploratum eſt.

Itaque in prima caloris morboſi ſpecie, hoc eſt, in calore, febribus inflammatoriis proprio, pulſuum conditio, partium corporis, quæ vaſorum ſanguiferorum minorum dilatationem conſpicere nobis permittunt, rubor, ſitis immodica, cutiſque univerſæ ſiccitas, ſatis ſuperque demonſtrant, proximam illius cauſam eſſe motum nimis auctum in vaſis ſanguiferis, ſanguinem inuſitata quadam vehementia & celeritate propellentibus.

Altera caloris morboſi ſpecies, febribus, in quibus ſanguis putreſcere deprehenditur, propria, non tam circuitui, quam motui inteſtino, nimis aucto, tribuenda eſt, ob pulſuum debilitatem, quæ vires, ſanguinis per vaſa curſum promoventes, ſanis minores potius, quam majores, eſſe oſtendit. Cauſam autem caloris hujus putridi in particularum ſanguinis inſenſilium motu inteſtino ponere ideo nobis licebit, quod calorem iſtum nonnunquam pluſculas a morte horas permanere obſervamus.

Tertia caloris morboſi ſpecies, febribus hecticis propria, ſimul & in circuitu, & in motu inteſtino, nimis aucto, conſiſtere videtur: id quod ex natura horum morborum colligimus. Infra enim videbimus, febres hecticas dependere a rebus acribus, identidem abſorptis, quæ, in ſanguinem receptæ, unaque cum eo progredientes, non tantum cor & ſyſtema arterioſum irritent, ſed etiam motum ſanguinis

inteſtinum augere videantur, eadem ratione, qua mixtorum, fermentationem ſubeuntium, motum inteſtinum, certis rebus adjectis, incitari poſſe, conſpicimus.

In tribus his caloris morboſi ſpeciebus, id eſt, in calore inflammatorio, putrido, & hectico, motus nimius per totum, qua patet, canalium ſanguiferorum ſyſtema apparet: ſed in caloribus illis fugacibus, qui pro ſymptomatibus nervoſis, ſive hyſtericis, habentur, motus nimius ad ſingulas partes reſtringendus, nec univerſum ſanguinis circuitum afficere cenſendus eſt: id quod ex pulſu colligimus, qui hic ſolito neque celerior, neque fortior eſt.

Cauſæ caloris morboſi remotæ, ſive poſſibiles, hoc eſt, variæ illæ res, quæ vel particularum ſanguinis inſenſilium motum inteſtinum augere, vel tamquam ſtimuli, proxime agentes, cor & vaſa, ab eo deſcendentia, irritare poſſunt, tam numeroſæ, tamque diverſæ indolis ſunt, ut illas in diſtincta capita digeri, pauloque copioſius infra pertractari oporteat.

Expoſitis caloris morboſi differentiis, ſtabilitiſque cauſis ejuſdem proximis, nunc, qui effectus, quæque mutationes inde oriantur, diſpiciamus. Initium faciemus a calore inflammatorio.

Primus caloris inflammatorii effectus eſt vaſorum dilatatio. Evidenter hæc apparet in iis ſuperficiei corporis partibus, quas numeroſiora vaſa ſanguifera percurrunt, & cuticula tenuior obtegit, velut genis oculiſque: unde facies rubicunda, oculique ſplendentes & intenti, qui ex orbita protrudi, ſolitoque ampliores eſſe videantur. At ſi irritatio ſyſtematis vaſcularis continuatur, calorque increſcere pergit, ſanguinis firmitas quotidie imminuitur, donec tandem propter vehementem agitationem particulæ, ex quibus concretus eſt, a peculiari illa connexione, quæ ſani hominis ſanguinem liquorem blandum ac

tenacem reddit, deſciſcunt, oleumque & ſales proportione non æqua inter ſe coëunt.

Cl. LANGRISH in *theoria & praxi medicinæ hodierna* experimenta quædam retulit, quæ hanc ſanguinis reſolutionem, a continuato motu & calore nimio oriundam, explicant. Ex his enim patet, particulas ſanguinis oleoſas ac ſalinas, quæ in ſanitate tam arcte cum reliquis connexæ ſunt, ut ſine magna difficultate ſeparari non poſſint, adeo ſolutas nunc eſſe, ut a cæteris elementis ſua quaſi ſponte diſcedant, copioſeque inter ſe coëant. Sanguinis, ex hominum, febribus inflammatoriis laborantium, venis miſſi, duæ portiones, deſtillationi ſeorſim ſubjectæ, ferme alterum tantum ſalis volatilis oleique largitæ ſunt, quantum pares portiones ſanguinis, ex hominum, plena ſanitate fruentium, venis detracti. Similiterque analyſis chemica in urina, ſub deceſſu febris facta, quacum ſales oleumque largius exierant, eam ſalis volatilis & olei copiam, quam urina, ab ægroto in ipſa febre, materiis iſtis irritantibus cum univerſa fluidorum, per vaſa circumeuntium, maſſa adhuc permixtis, reddita, continebat, propemodum duplam reperit, ſalibus oleoque urinæ eadem ratione augeſcentibus, qua calor, aliaque ſymptomata morboſa, imminuebantur.

Particulæ ſalinæ & oleoſæ, a cæteris, quæ ſanguinem conſtituunt, diſſociatæ, atque ita inter ſe coëuntes, irritationem fovent, caloremque magis etiam augent, qui, aſſidue increſcens, non poteſt, quin ſanam ac naturalem ſanguinis craſin diſſolvat atque deſtruat.

Sanguinis craſi deſtructa, vaſorumque diametris præter naturam dilatatis, particulæ craſſiores in cava & canales, qui in ſanis ſolas tenuiores admittere poſſunt, urgentur: unde ſecretiones impediri ac turbari, neceſſe eſt. Vaſiſque organorum debilioribus, quam ſecundum naturam eſſe debent, atque

idcirco

idcirco fluidorum impulſui minus reſiſtentibus, tumor inflammatorius in illis partibus naſcitur, qui, pro vario organorum uſu ac neceſſitate, varii generis ſymptomata, variæque magnitudinis dolores, moleſtias, & pericula, parit.

Verum, ut jam tranſlationes iſtæ inflammatoriæ irritationi nimioque motui ſyſtematis vaſcularis non ſuccedant: tamen, niſi particulæ noxiæ, quæ turbas illas fovent, a ſanguine ſeparentur, & naturali aliqua excretione e corpore expellantur, aut in ſyſtema cellulare ad ſolida inertia, nullius ſtimuli capacia, ſe recipiant, continuata agitatio craſin ſanguinis deſtruet, ac, ne vitæ ſuſtentandæ idoneus maneat, efficiet.

Nihilominus illud ignorare non oportet, etiamſi ex pulſu ſæpe judicemus, vim & velocitatem, qua fluida moventur, duplo majorem eſſe, quam naturaliter eſſe debeat: ex thermometro tamen, caloris incrementum virium, fluida moventium, incremento æquale eſſe, non apparere. Quæ quum ita ſint, perpetuum non eſt, a caloris incremento craſin ſanguinis ita vitiari, ut ad vitam ſuſtentandam aptus eſſe deſinat. Quin e contrario hoc ſymptoma, quamvis nunc moleſtiſſimum, aliiſque, juſtum metum incutientibus, ſtipatum, haud raro tamen ad finem ſalutarem tendit, quum ab eo, tamquam inſtrumento proximo, acres illas noxiaſque materias, vaſorum contextum alioqui diſſoluturas, ſubigi, vel attenuari, obſervemus. Materiæ autem iſtæ nocentes, a calore aucto ſubactæ, attenuatæ, & correctæ, idoneæ fiunt, quæ a maſſæ univerſitate ſeparentur, ſic, ut corpus a moleſtia liberetur. Atque ideo, quemadmodum ſuo loco videbimus, in pluribus morbis, maximeque in febribus exanthematicis, curantium eſt, calorem hunc morboſum ita moderari, ut nimium neque increſcat, neque decreſcat.

Caloris immodici effectus in febribus putridis, ubi

motum inteſtinum magnopere incitatum ponimus; multo etiamnum perniciosiores eſſe oportet, quam in his, quas inflammatio ſincera comitatur, ubi ſolius circuitus velocitatem augeri conſtat. Nam in febribus iſtis putridis ſanguis naturalem ſuum lentorem amittit, eaque propter per poros, in arteriarum tunicis hiantes, facile exſudat: unde ſanguinis profuſiones, & rubræ lividæve cutis maculæ, naſcuntur.

At in hecticis febribus, quæ ſemper per aliquot horas remittuntur, calor, licet immodicus, ac, dum tenet, moleſtiſſimus, minus tamen cito ſanguinis craſin diſſolvit, fibraſque ſolidas colliquat, quam in febribus continuis inflammatoriis, vel putridis, ubi calor perpetuus eſt, nec creſcere deſinit, donec ad ſummum, quem ſanguis in corpore humano nanciſci poteſt, gradum aſcenderit.

Cæterum calores hectici fere ad extremum & fluidorum craſin, & ſolidorum contextum, deſtruunt.

Caloris, affectibus hyſtericis proprii, effectus raro tam valde moleſti, aut tam cito pernicioſi ſunt. Quum enim calor hic brevi deſinat, nec per univerſum ſyſtema vaſculare diffundatur, nulla neque in ſanguinis craſi, neque in vaſorum contextu, mutatio inde fieri deprehenditur.

CAPUT V.

Frigoris nimii ſenſus tamquam affectuum morboſorum ſimplicium ſpecies conſideratus.

FRIGORIS nimii ſenſus nunquam in affectibus morboſis poni poteſt, niſi cæterorum, quæ diximus, ſymptomatum aliqua eum comitentur. Frequentiora horum ſunt præcordiorum oppreſſio &

virium debilitas, ſed non parum ſæpe nauſea quædam gravior, vel forte vomitus, accedit, cui capitis dorſive, qua gracilius eſt, dolores, ſitis vehemens, & horror, ſe adjungunt.

Omnes febres, quæ ſubito invadunt, multæque ex his, quæ per gradus quoſdam accedunt, ab hoc ſymptomate incipiunt. Sed quemadmodum calor aliquis nimius eſt, in morbis, febris expertibus, nonnunquam obvius: item frigus aliquod nimium eſt, nervorum affectibus proprium, omnique inſolita præcordiorum oppreſſione & nauſea carens, quæ frigus illud, unde prima febris acceſſio incipit, perpetuo comitantur, quarum loco ſtupor, ſive univerſi corporis anæſtheſia, frigori immodico in morbis mere nervoſis plerumque accedit.

Quum in nimio hoc frigore, nervorum affectibus proprio, motus univerſi ſyſtematis vaſcularis perſpicue neque interrumpantur, neque remittantur; id quod ſemper ex pulſu cognoſci poteſt: cauſa illius unice in nervis, per cutem diſtributis, quæri oportet, qui quidem ſenſum illum peculiarem propter mutationes quaſdam, in ſtatu ipſorum factas, ſed quas explicare fruſtra coneris, inducere videntur. Minus autem dubitanter de cauſis illius frigoris, quod febribus proprium eſt, differere nobis licet, quum mutationes evidenter ſyſtematis vaſcularis motus afficiant, ac quodam modo ſub ſenſus externos cadant.

Symptomatum enim concomitantium nullum fere eſt, quin demonſtret, frigoris illius immodici ſenſum, a quo tot febrium ſpecies incipiunt, cauſam veram & proximam eſſe ſtagnationem ſanguinis in exiliſſimis ſyſtematis arterioſi finibus, neque in his modo vaſis, ſed etiam in minoribus illis ac tenuioribus tubulis, qui urinæ & materiæ perſpirabili percolandæ atque excernendæ inſerviunt. Teſtantur hoc univerſæ cutis pallor & corrugatio, corporis totius

contractio, ex annulorum, qui paulo ante digitis arcte inſederant, laxitate manifeſta, ſitis, fonticulorum, aliorumque ulcerum manantium, exſiccatio, unguium, ſub quibus ſanguis perſpicue ſtagnat, livor, urina, quæ tum temporis redditur, exigua, limpida, denique ponderis opprimentis in centro ſenſus, propter obicem, humoribus, per vaſa ad peripheriam meantibus, oppoſitum. Sed hîc quæritur, quæ ſit cauſa proxima hujus ſtagnationis, quam ſymptomata, modo recenſita, tam liquido demonſtrant.

Duas hac de re opiniones ſcholarum medicarum principes amplexi ſunt. Alii fluida accuſant, quæ, quod nimium lenta atque tenacia ſint, libere tranſire non poſſint per fines exiliſſimarum arteriarum, quas tubos, ſive canales, conicos eſſe ſtatuunt, quorum diametri, prout a centro recedant, gradatim diminuantur. Alii vitium in vaſis, fluida tranſmittentibus, ponunt, vaſiſque iſtis vim tribuunt canales ſuos ita contrahendi & coarctandi, ut fluidis tranſitum præcludant. Prior opinio aliquamdiu unice valuit: ſed nunc quidem ſatis exploſa atque ejecta eſſe videtur. Arterias enim falſo pro tubis conicis haberi, evidenter demonſtratum eſt, ſiquidem arteriarum minimarum, quas capillares nominant, figura, in animalibus vivis per microſcopium explorata, vere cylindrica reperta eſt. Quam ob rem, ut jam particulæ tenaces in fluidis inſint, fieri tamen non poteſt, ut ideo in anguſtiſſima arteriarum minimarum parte detineantur. Sed præterea, ſi ad nonnullorum animi affectuum effectus attendas, quæ moleſtum nimii frigoris ſenſum, cum præcordiorum oppreſſione, & reſpiratione citata, conjunctum, extemplo inducunt, eodemque tempore obſerves, quemadmodum ſanguis a labiis geniſque refugiat, ac tota corporis univerſitas contrahatur, in confeſſo ſit, neceſſe eſt, mutationes iſtas non ab aucto lentore ſanguinis, ſed a repentina ſtrictura vaſorum in peripheria, liberum ſan-

guini tanſitum denegantium, eumque intro ad centrum repellentium, oriri. Similes effectus etiam conſequuntur, ſi noxia quædam in ventriculo atque inteſtinis ſubſiſtant, ſi res fœdæ, nauſeamque provocantes, in oculos incurrant, ſi vel ſola eorumdem, olim devoratorum, recordatio ſubeat. Ex quibus, proximam ſymptomatis, cujus naturam explicare in præſenti conamur, cauſam non ſanguinis lentorem, ſed ſubitam vaſorum ſtricturam eſſe, colligimus.

Quum omnem motum animalem a nervis proficiſci conſtet: neceſſarium eſt, ut etiam hæc vaſorum minimorum ſtrictura ad aliquam ſyſtematis nervoſi mutationem referatur. Sed, in quo conſiſtat illa mutatio, inveſtigare, ſupervacaneum atque inutile fuerit. Itaque hic ſubſiſtamus, neque inveſtigationem noſtram ultra ſyſtema vaſculare proſequamur, in quo ſtagnationem, cum ramorum extremorum, in quos arteriæ minores, tubulique excernentes, diducuntur, ſtrictura conjunctam, perſpicue videmus.

Vocatur hæc ſtrictura ſpaſmodica, ſæpiuſque ſimpliciter ſpaſmus appellata eſt. Sed quum hæc ſpaſmi ſignificatio neque cum uſu veterum ſcriptorum, neque cum poteſtate, quam ipſi in opere noſtro ſubjicere decrevimus, magnopere congruat, vocem iſtam non adhibebimus, niſi ad denotandam violentam illam & non voluntariam contractionem, vel diſtentionem, fibrarum muſcularium, quæ ſymptoma, debilitati, ſive relaxationi, contrarium, conſtituit.

Inquiramus nunc in effectus, ex ſtrictura hac ſpaſmodica oriundos.

Si univerſam ſyſtematis vaſcularis peripheriam conſtrictam eſſe ponamus, dubitari non poteſt, quin, citam mortem ſequi, neceſſe ſit: idque omnino accidit, interdum a terrore gravi & repentino, humorum circuitum extemplo impediente, ac fluida verſus centrum repellente, quorum pondere cor oppreſſum conſuetis motibus vacare non poteſt; interdum

iis in locis, ubi aër exſpirationibus peſtiferis repletus eſt; nonnunquam etiam a venenis ſumme efficacibus, nominatim a ſagittis illis venenatis, quibus gentes quædam in America meridonali utuntur. Academiæ regiæ ſcientiarum Pariſinæ Socii, anno hujus ſæculi triceſimo nono ad telluris ſuperficiem metiendam in regnum Peruvianum miſſi, cum aliis rarioribus aliquot hujus generis ſagittas in Europam retulerant, quibus, ad vim veneni explorandam, varia animalia, in ipſo Academicorum conſeſſu, vulnerata ſunt. Mors plerumque eodem puncto temporis leviſſimam punctionem ſequebatur, apertiſque poſtea cadaveribus, auriculæ & ventriculi cordis, una cum vicinis truncis majoribus, ſanguine valde diſtenti, atque in nonnullis plane diſrupti inveniebantur, manifeſto argumento, aliam mortis cauſam non fuiſſe, niſi vaſorum in corporis peripheria ſtricturam repentinam, qua fieri non potuit, quin ſanguinis circuitus his vaſis impediretur, eoque ipſo maſſa illius univerſa ad centrum repelleretur *).

*) Vid. etiam BANCROFTI *Hiſtoria naturalis Guianæ.*

Hi certe caſus rariores ſunt. Nam in febrium vulgarium initiis ſtrictura ſpaſmodica non ſtatuenda eſt tam late patere, ut totam ſyſtematis arterioſi peripheriam afficiat. Neque vero per vaſa, ad cutem pertinentia, non hactenus porrigitur, ut ſtagnationi in illis efficiendæ, atque ita nimii frigoris ſenſui, pallorique & horrori inducendo ſufficiat. Eadem enim interruptio, quæ frigus ac pallorem affert, quia, ne muſculis tantum ſanguinis, quantum ad tonum ipſorum conſervandum ſatis eſt, ſuppeditetur, impedit: ea igitur non poteſt non pariter ſæpe numero efficere, ut fibræ muſculorum præter naturam contrahantur atque relaxentur: id quod perſpicuum fit

ex horrore illo, ſive tremore, quem rigorem & horripilationem vulgo appellant.

Anxietas, ſive præcordiorum oppreſſio, etiam neceſſarius ſtricturæ ſpaſmodicæ effectus eſt, propter obicem, cordis viribus reſiſtentem.

Quum pondus hoc opprimens, ſalva vita, diu manere non poſſit, vires, vitam ſuſtentantes, quarum ſumma naturæ vocabulo concluditur, ſtatim ſe exſerere occipiunt. Cor, muſculus omnium maxime irritabilis, ab immodica ſanguinis copia nunc ſtimulatum, univerſam humorum, per vaſa circumeuntium, maſſam in motus vehementes, rapidos, atque anomalos agit, quoniam ſyſtema arterioſum in locis quibuſdam apertius ac liberius eſt, quam in aliis, quum vaſa ibi minus conſtricta ſint. Nimios hos motus neceſſario excipit nimius calor, ſupra a nobis explicatus, cum ſiti moleſta & agrypnia conjunctus, cui, niſi optabilem res exitum habeat, dolor, delirium, aliaque ſymptomata graviora, ſuccedere conſuerunt. Quod ſi enim nimius ille motus ſub vaſorum ſtrictura, humorum circuitum turbare pergente, permaneat, calor increſcet, ſanguiniſque craſi, & vaſorum contextui, omnes illæ mutationes perniciosæ, quas in ſuperiori capite expoſuimus, accident.

CAPUT VI.

De nauſea, ejuſque cauſis & effectibus.

NAUSEÆ vocabulo ſemper gravius aliquid ſignificamus, quam ſimplicem anorexiam, ſive ciborum appetentiam ſublatam. Intelligimus quippe per iſtam rerum, naturæ in ſanitate obſoluta ſumme jucundarum & gratarum, faſtidium atque averſationem.

Ægrorum, de nauſea conquerentium, pulſum ex-

plorantes, ſæpe ſyſtematis vaſcularis motus manifeſte turbatos invenimus, velut in omnibus morbis febrilibus, quorum conſtans & perpetuum ſymptoma eſt. Eadem vero ſemper ad ſyſtematis nervoſi ataxiam atque anomaliam referenda eſt, ſiquidem ſolus motus nimius in humorum craſſiorum circuitu moleſtum hunc ſenſum nunquam per ſe excitare conſuevit.

Si ventriculus flatibus diſtentus, mucove, vel ſero, copioſius ſecreto, repletus eſt, aut ſi fluida hæc tam maligne ſuppeditantur, ut nervis ad functiones ſuas exercendas ſatis humectandis non ſufficiant, tantum abeſt, ut famem naturalem ſentiamus, ut contra moleſtiam & gravitatem in ventriculo percipiamus.

Nauſea certiſſime quoque ſequitur ſaburram putridam, vel rancidam, in ventriculo retentam, aut bilem acrem atque corruptam, in veſicula fellea, vel inteſtini duodeni flexura, accumulatam. Atque hoc ſymptoma frequens febrium comes eſt.

In hoc morborum genere ex oris interni ſiccitate non ſine ratione conjicimus, ſtricturam ſpaſmodicam ad ventriculum porrigi, & impedimento eſſe, ne nervi ipſius ſatis humectentur, unde functioni ſuæ exercendæ impares evadunt, eadem ratione, qua linguæ nervos rerum, ori ingeſtarum, impreſſionibus recipiendis ac tranſmittendis inhabiles fieri videmus, quamdiu naturali ſuo humore non irrigantur. Quam ob rem bonum ſignum eſt, ſi febricitantes diſerte ſolidum aliquod alimentum, quantumvis a conſueto diverſum, poſcant, quoniam id indicio eſt, ſtricturam ſpaſmodicam reſolvi, limphæque ſecretione naturali poſtliminio reſtituta, ventriculi nervos humectari, ita, ut vires ſuas naturales recuperent

Nauſea, paulo longinquior, non poteſt, quin maciem faciat. Deficit enim materia nutriens, quæ jacturam, quam perpetua fluidorum actio vaſorum tunicis, de ſubſtantia ipſorum continue aliquid deradendo atque abſtergendo, infert, reſarciat. Quo

igitur ſyſtematis vaſcularis motus, nauſeam comitantes, vehementiores ſunt: eo celerius atque evidentius corpus emaceſcit.

Neceſſario quoque a ciborum faſtidio debilitas, ſive virium defectus, naſcitur, quoniam, quo major partium ſolidarum jactura eſt, hoc magis fibrarum muſcularium robur diminuatur, neceſſe eſt.

CAPUT VII.

De ſiti, ut ſymptomate generali, ſive affectuum morboſorum ſimplicium ſpecie.

QUARTAM affectuum morboſorum ſimplicium ſpeciem ſitis nimia, ſive polydipſia, conſtituit. Etiam hocſymptoma, ſicut cætera omnia, ſemper cum alio quodam ſymptomate conjunctum eſſe debet, ut tamquam morbi pars ſpectari poſſit. Quæ frequentiſſime ipſi accedunt, ſunt nimii, aut caloris, aut frigoris, ſenſus, præcordiorum oppreſſio, debilitas, anorexia, agrypnia.

Cauſa proxima hujus ſymptomatis eſt obſtructio pororum, limpham ac mucum ſuppeditantium, quibus lingua, totum os internum, fauces & œſophagus, lubricentur atque humectentur.

Obſtructio hæc vel ab exilium illorum meatuum excernentium, e folliculis mucoſis hiantium, ſtrictura ſpaſmodica, vel a materia viſcida, eoſdem oppilante & obturante, proficiſci poteſt.

Sitim vehementem in febrium frigore, ſive acceſſione, a ſtrictura ſpaſmodica fieri, evidenter hinc patet, quod a metu, mærore, ac ſollicitudine, quæ ſemper ſtricturas ſpaſmodicas efficiunt, ſemper ſitis oritur. At ubi ſitis nimium calorem comitatur, manifeſtum eſt, præter pororum ſtricturam ſpaſmodi-

cam, muci, ad partium modo dictarum humectationem ſecreti, portionem tenuiorem per nimium calorem diffiari, tenaciorem autem relinqui, quæ in fordibus, linguam obtegentibus, indureſcat, vaporiſque limphatici exhalationem naturalem impediat.

Sitim itaque a linguæ, oris interni, faucium, atque œſophagi, ſiccitate naſci videmus. Sed interdum pororum in his partibus ſtricturæ illa univerſi corporis ſtrictura, quæ febribus originem præbet, ac præcordiorum oppreſſionem, nauſeam, viriumque dejectionem, indivulſas comites habet, non accedit. Hæc ſitis, ſæpius longe moleſtiſſima, pro ſymptomate mere nervoſo habenda eſt.

Sunt alii quoque morbi, febris expertes, quos dira ſitis comitatur, ubi, cauſam ejus in ſanguinis aqua, ad alios corporis exitus derivata, ſitam eſſe, apparet. Fit hoc maxime in morbo illo, qui diabetes nominatur, in quo urinæ excretio naturali longe copioſior eſt, ſicut etiam in alvi profluviis, in ſudoribus immodicis, & in hydrope, in quo ſanguinis aqua, a reliquis partibus, ipſum conſtituentibus, ſecedens, vel per totum, qua patet, ſyſtema cellulare diffunditur, vel in cavis quibuſdam majoribus deponitur.

Quum ſitis ſenſus ex moleſtiſſimis ſit, fieri vix poteſt, ut ſomnum capi concedat. Hinc agrypnia illa, quæ febres præcipue comitatur. Oris ſiccitas vim organi, per quod guſtamus, neceſſario imminuit, fordeſque, in lingua & circa gingivas hærentes, indurando, nulli non eſcæ potionive ingratum, vel pravum, ſaporem impertitur. Quæ ratio eſt, cur iis, qui febribus laborant, plerumque nihil ſapiat, niſi acidula, quæ ad noxium iſtum ſquallorem abſtergendum, vaporiſque limphatici ſecretionem ex partium affectarum poris ſtimulo ſuo blandiori eliciendam, in primis idonea ſunt.

Quandoquidem proxima ſitis febrilis cauſa in ſtrictura ſpaſmodica, reliqua etiam ſymptomata fovente,

poſita eſt, neceſſaria conſecutione efficitur, ut bonum augurium inde capere liceat, ſi linguam, oſve internum, magis madeſcere, ſitimque minus importunam eſſe, appareat. Quippe hæ mutationes, ſtricturam ſpaſmodicam reſolvi, humorumque circuitus æquabilitatem ac libertatem reſtitui, liquido oſtendunt.

CAPUT VIII.

De dolore, ejuſque cauſa proxima, & neceſſariis effectibus.

FIBRAS vivas, inuſitatam tenſionem, vel a vaſis nimium diſtentis, vel a cauſa quadam externa, patientes, ſummo dolori obnoxias reddi, obſervatione diſci poteſt. Hinc fit, ut plures corporis partes, ſecundum naturam & in ſanitate perexiguo ſenſu præditæ, vaſis inflammatione affectis, nimiaque humorum impactorum copia ultra modum diſtentis, exquiſitiſſimos dolores ſentiant. Indidemque uſu venit, ut in iis corporis partibus, ubi vaſa ſanguifera, & fila nervea, ſecundum oſſium, cartilaginum, ligamentorum, tendinum, vel membranarum craſſiorum, tractum decurrunt, aut his intexta ſunt, nunquam acerrimi dolores non percipiantur, propterea quod fibræ vivæ hic magis tendi poſſunt, quam in partibus carnoſis atque glanduloſis, ubi per telæ celluloſæ lamellas ac fibras, flexili mollitia præditas, laxius connexæ ſunt.

Species doloris diſtinguere, nihil ad rem pertinet: proximas autem ſymptomatis hujus, tam vulgaris juxta moleſtique, cauſas inveſtigari, non parvi refert. Nam, ut febres taceamus, quarum frequentiſſimum ſymptoma dolor eſt, quot alii ſunt morbi, qui illo nunquam vacant, & caracterem ſuum inde mutuantur?

Nonnulli ſcriptores, dolorem ſemper a nimia filorum nerveorum diſtractione oriri, exiſtimarunt: alii contra, hæc fila eodem modo intorqueri atque criſpari ſibi perſuaſerunt, quo fibras animalium carneas, admotis rebus acribus, criſpari obſervamus. Sed experimenta, in animalibus vivis facta, poſteriori opinioni non favent. Ex his enim conſtat, nervos, inſtrumento acuto, vel rebus acribus, contactos, vi contractili carere.

Sedem doloris in nervis eſſe, dubitari non poteſt: at in ipſis tamen chordis, ſtimulo quodam laceſſitis, ne minimus quidem motus inordinatus conſpicitur. Probabilior videtur altera opinio, quæ proximam doloris cauſam in filorum nerveorum diſtractione ponit. Eadem vero talis videri deſinet, ut primum, vinculo chordæ alicui nerveæ injecto, animal omni doloris ſenſu, quem alias, ſi partes, quibus chorda illa proſpicit, ſecentur, rodantur, vel lacerentur, acerrimum habet, extemplo privari, nobis in memoriam revocaverimus. Ex quibus concludere debemus, proximam doloris cauſam non in filorum ſolidorum diſtractione, tenſione, aut criſpatione, ſed in ſtatu liquoris cujuſdam mutato, quærendam eſſe.

Ut verus modus, quo vulgares rerum externarum, nihil doloris aut moleſtiæ inferentium, impreſſiones, nervorum ope, recipiantur & tranſmittantur, deſcribi, aut definiri non poteſt: ſimiliter eas mutationes, ex quibus doloris ſenſus emergit, in ſtatu ſyſtematis nervoſi reperire, perdifficile eſt. At, quum omnem ſenſum a liquoris illius elaſtici ac tenuiſſimi, qui medulloſam nervorum ſubſtantiam imbuit, motu vibrante moderato oriri poſuerimus: certe neque abſurde, neque ſine ratione, dolorem, qui nihil aliud, niſi ſenſus nimius eſt, motui illi vibranti immoderato adſcribemus. Atque hæc conjectura quodam modo inde comprobatur, quod animalia, niſi medulla nervi contacta & laceſſita, vix quidquam doloris ſentire obſer-

vantur. Nam donec vagina membranacea, quæ partem illam molliorem tuetur, integra manet, quamvis chordam nerveam ſpiritibus acribus, vel inſtrumentis acutis, tangas, dolor non oritur: ſimul atque vero res iſtæ per vaginam penetrant, medullamque in ea incluſam, contingunt, protinus dolor percipitur, ac tam cito, quam fulgur micat, ad eam ſedem, in qua menti repræſentatur, transfertur, ita tamen, ſi iter inter cerebrum partemque læſam, chorda illa nervea, quæ experimento ſubjicitur, ligata, vel compreſſa, interruptum non eſt.

Dolor, a liquoris nervei motu vibrante immoderato ſic naſcens, interdum ſentitur, ſi lædentia locum, ab eo, qui doloris ſedes eſſe dicitur, diſtantem, afficiunt. Exemplo eſt capitis dolor, quem ſæpe acria, in ventriculo hærentia, excitant.

Neceſſarius doloris effectus agrypnia eſt, majori minorive ejus vehementiæ reſpondens. Anima enim, a ſenſu moleſto ſe liberare omni ſtudio conans, corporis jactatione, crebraque ſitus mutatione, levamentum impetrare adlaborat. Hinc vero ſomnus exſulat, cogitationes turbantur, &, doloris vehementia increſcere pergente, varia ac multiplex motuum actionumque immoderatio atque ataxia conſequitur; motus univerſi ſyſtematis vaſcularis menſuram naturalem excedunt, immodicum calorem & ſitim immodicam procreantes, nec parum ſæpe, ſi dolor ab acri quodam admoto, vel ab externa aliqua injuria, primum ortus eſt, ſanguinis, aliorumque humorum, vis inuſitata ad loci dolentis vaſa confluit, quæ vel ſe exonerat, vel canales ac telam celluloſam diſtendit, atque ita tumorem inflammatorium excitat.

CAPUT IX.

Pruritus tamquam affectuum morboſorum ſimplicium ſpecies conſideratus.

PRURITUS magnus æque intolerabilis eſt, ac dolor, quocum propinqua affinitate conjunctus eſſe, & a peculiari quadam motus vibrantis nervorum, cuti intextorum, mutatione proficiſci videtur.

Ingratus hic ſenſus, æque ac dolor, per conſenſum, quam græci συμπάθειαν appellant, cum partibus remotis communicari obſervatur. Vermibus tunicas inteſtinorum, ex fibris ſenſilibus contextas, laceſſentibus, irritatio ſæpiſſime ad membranam, nares inveſtientem, transfertur, ibique pruritum excitat. Urinæque calculus, in veſica deliteſcens, non raro pruritum extremi penis movet.

Præter vulgarem illum pruritum externum, quem ab inordinato quodam nervorum, cutem perrepentium, motu dependere apparet, internus quoque reperitur, per totum corpus ita diffuſus, ut ægroti, quorſum referendus ſit, indicare neſciant. Vulgo hoc ſymptoma *formicationis ſenſus* appellatur, longeque moleſtiſſimum eſt. Occurrit nonnunquam in morbis hyſtericis, continuamque corporis jactationem & agrypniam parit.

Pruritus externus, præterquam quod illi cutis fœditati, quæ ſcabies nominatur, proprius eſt, interdum icteri, atque febrium quarumdam exanthematicarum, ſymptoma perquam moleſtum eſt.

Pruritus, ſimiliter ac dolor ſitiſque, neceſſario ſomnum turbat, longuſque & vehemens, delirium, vel ſpaſmum, creat.

CAPUT X.

Agrypnia tamquam affectuum morboſorum ſimplicium ſpecies conſiderata.

CONTINENTES illi mentis corporiſque per vigiliam labores manifeſtam important jacturam tenuiſſimæ cujuſdam materiæ, a qua omnium facultatum robur ac vigorem dependere conſtat. Tenuiſſima iſta materia liquor nerveus eſſe ſtatuitur.

Somnus itaque ad animi juxta corporiſque vires reparandas neceſſarius eſt. Atque hinc non ſine ratione exiſtimant, ſomni tempore tenuiſſimi illius liquoris diſtributionem per omnes ſyſtematis nervoſi partes quodam modo intermitti, exceptis illis organis, quorum motus ad vitam conſervandam per ſe neceſſarii ſunt, hoc eſt, corde & pulmonibus, cum muſculis, actioni ipſorum inſervientibus.

Quomodo liquoris nervei motus ſic reſtringatur, ut, quamvis a ſenſuum organis motuſque voluntarii inſtrumentis averſus, ad ea tamen, quæ diximus, organa vitalia perveniat, nemo Phyſiologorum explicare unquam poterit. Aliquam autem hujus generis viciſſitudinem eſſe, modumque diſtributionis per ſomnum ab eo, qui per vigiliam obtinet, differre, ſi dicamus, nihil, quod a ratione alienum ſit, dixiſſe nobis videmur.

Quod ſi igitur ſecundum naturam & in ſanitate ſomni cauſa mechanica hæc eſt, quod liquoris nervei per ſenſuum internorum atque externorum organa, ac muſculos, corde, iiſque, qui reſpirationi inſerviunt, exceptis, diſtributio intermittitur, conſequens eſt, ut ſtatus contrarii, qui tamquam affectuum morboſorum ſimplicium ſpecies conſideratur,

cauſam proximam motus nimius in eodem liquore tenuiſſimo & vitali, per univerſum corpus diducendo, conſtituat.

Cauſæ remotæ nimii hujus motus variæ ſunt. Quædam ab animi affectionibus, ut mœrore, ira, ac ſpei conceptæ fruſtratione, dependent: aliæ in ſyſtemate vaſculari turbato conſiſtunt, quum motus ipſius adeo intenditur, ut calorem ſitimque faciat. Aucta enim hæc vis, quamdiu vaſa cerebri aperta & libera ſervantur, nimium illum liquoris nervei motum, qui pro cauſa agrypniæ proxima habetur, nunquam non excitat.

Effectus hujus ſymptomatis, ſi pertinacius ſit, non poſſunt non valde noxii atque perniciales eſſe. Alimenta enim ſola detrimento, quod corpus patitur, reſarciendo, viribuſque ejus reparandis, non ſufficiunt, niſi naturales ſomni reverſiones ſuppetias ipſis ferant, ſiquidem per hæc temporis intervalla, quibus muſculorum motus omniumque ſenſuum exercitia quieſcunt, particulæ nutrientes potiſſimum apponi ac figi videntur. Sed in morbis febrilibus, in quibus conſueta quoque & naturalis alimentorum ſolidorum ſuppeditatio deficit, facile intelligere poſſumus, quantam partem ſymptoma, de quo agimus, ad maciem toti corpori inducendam, omneſque illius vires dejiciendas, conferat.

Febrium initiis agrypnia conſtanter fere & perpetuo accedit: ſub finem autem morbi plerumque in ſtatum contrarium, hoc eſt, ſtuporem atque ſomnolentiam continuam, mutatur.

At morborum genus, febris expers, eſt, in quo agrypnia præcipuam moleſtiam exhibet. Sed, quum eodem tempore ſyſtematis vaſcularis motus ſolito major non ſit, ſomni defectus, qui in morbis illis per integras interdum hebdomadas continuatur, corporis vires minus cito, quam in febribus, proſternit, quoniam tantum abeſt, ut ægroti alimenta faſtidiant, ut

contra

contra appetitu, modum naturalem excedente, in ea ferantur.

CAPUT XI.

De ſomnolentia, ſive morboſa ad ſomnum proclivitate.

CONTRARIUM agrypniæ ſymptoma, cui octavum inter ſymptomata generalia locum aſſignavimus, ſomnolentia, ſive morboſa ad ſomnum proclivitas, eſt.

Symptoma hoc, ſi gravius ſit, merito periculoſum cenſetur, ſiquidem ex eo non ſine ratione colligitur, liquorem vitalem nervis malignius ſuppeditari, vel ob materiæ hujus tenuiſſimæ in humorum univerſitate inopiam, vel ob aliquam nervorum compreſſionem, quæ liberam illius diſtributionem impediat.

Somnolentiæ cauſæ remotæ multiplices ſunt, velut ſanguinis profuſiones immodicæ, frigus nimium, aqua in ventriculis atque interſtitiis cellularibus cerebri accumulata, vel vaſorum in eadem parte nimia diſtentio, ſanguis intra cranium per vulnus effuſus, calvariæ depreſſio & fractura, qua cerebro impingitur, ſic, ut medullam comprimat, &, ne liquor vitalis a fonte ſuo ad ſenſuum organa motuſque voluntarii inſtrumenta tranſmittatur, efficiat.

Facile hinc intelligitur, quomodo hoc ſymptoma ex ſymptomate, ipſi contrario, generari poſſit. Nam quemadmodum aucta circuitus humorum per cerebri vaſa celeritas ſyſtematis nervoſi motum auget, atque ita ſomnum arcet: ſic vaſa iſta, ab aucto impulſu ſanguinis nimium onerata atque diſtenta, non tantum ſecretionem, in cerebro continuandam, perficere, non amplius valent, ſed præterea quoque nervorum origines comprimunt. Unde ſomnolentia ſemper in

his febribus exſpectanda eſt, in quibus magna agrypnia & delirium præceſſit.

Sub febrium finem ſæpe mixturam quamdam ſomni ac pavoris ſubiti, illum excutientis, obſervamus, quod coma vigil appellatur, rapidoque & inordinato ſanguinis per cerebri vaſa motui tribuendum eſſe creditur, partibus quibuſdam liberis, aliis autem eo uſque diſtentis, ut nervorum origines comprimant.

CAPUT XII.

De anxietate, ſive ſenſu oppreſſionis præcordiorum.

SEXTAM ſanitatis abſolutæ conditionem hanc poſuimus, ut nulla præcordiorum ſtrictura, aut oppreſſio, ſentiatur. Contrarius huic eſt, & nonum ſymptoma generale conſtituit, moleſtus ille ſtricturæ, vel oppreſſionis, ſenſus, quem ſcriptores medici anxietatis nomine inſigniunt.

Symptomatis hujus perpetua comes inſignis quædam timiditas animique abjectio eſt. Nam, ſicut dolor injuriæ præſentis, ita anxietas mali cujusdam imminentis notionem in mente excitat, adeoque ſæpius dolore acuto intolerabilior evadit.

Diſtingui oportet anxietatem illam, in qua nulla ſyſtematis vaſcularis interruptio, aut perturbatio, conſpicua eſt, ab hac, in qua libero fluidorum per arteriarum minorum fines tranſitui manifeſtum impedimentum objicitur. Ex pulſu, quemadmodum deinceps explicabimus, duas has ſpecies, alteram ab altera, diſtinguere licet.

Prior morbis maniacis & hyſtericis, poſterior febribus propria eſt, per quarum totum decurſum ægrotantibus plus minuſve moleſtiæ faceſſit. Quoad enim ſtrictura ſpaſmodica, liberum atque æquabilem

humorum circuitum impediens, non ſolvitur, oppreſſionis in centro ſenſus maneat, neceſſe eſt.

Illa ſpecies, quam nulla ſymptomata febrilia comitantur, non, niſi ab ataxia quadam, ad ſolum ſyſtema nervoſum referenda, derivari poteſt. Sed propria ataxiæ hujus natura definite explicari tum demum poterit, quum majores in nervorum cognitione profectus fecerimus.

Alterius ſpeciei cauſæ proximæ, ut modo diximus, obſtacula ſunt, liberum ſanguinis tranſitum impedientia, quæ variis ex cauſis naſcuntur.

Primum animi affectiones, velut metus, mæror, vindictæ cupiditas, ac ſpei conceptæ fruſtratio, majorem minoremve ſtricturam ſpaſmodicam pariunt, quam conſtanter & perpetuo major quoque minorve præcordiorum oppreſſio ſequitur.

Miaſmata, quæ varias febrium ſpecies, nominatim exanthematicas, generant, præcipue inſolitam quamdam ſtricturam ſpaſmodicam efficiunt, adeoque moleſtus ille anxietatis ſenſus his tantum non ſemper accedit. Quamdiu enim particulæ irritantes ac nocentes, ſanguini immixtæ, ex corpore non expelluntur, aut ex viis, per quas ſanguis tranſit, ejectæ, in parte cutis celluloſa inter ſolida inertia deponuntur, laborantes crebra ſuſpiria elidere, & continue de præcordiis oppreſſis conqueri audias.

Humores nimium abundantes, atque excrementa naturalia retenta, ſemper oppreſſionem quamdam inducunt, quoniam inter maſſam ſanguinis movendam & vim cordis motricem juſta proportio non eſt. Similiter, ubi vis cordis quacumque de cauſa aliquantum imminuta eſt, nunquam pondus quoddam in centro non ſentitur. Idemque accidit, ubi ſanguinis per pulmones, vel abdominis viſcera, tranſitus inſigni quadam ratione interrumpitur.

Si, quæ ſanguinis tranſitum impediunt, obſtacula majora ſunt, quam ut facili negotio removeri poſſint;

id quod hinc colligere licet, quod ægroti de oppreſſione, vel ſtrictura, vehementius conqueruntur, pulſuumque ſumma celeritas ac debilitas eſt: certum vitæ imminet periculum, ſiquidem ſymptomata iſta manifeſto ſignificant, in centro lociſque vicinis majorem ſanguinis copiam congeſtam eſſe, quam ut vires cordis ei per arterias expellendæ ſufficiant, adeoque mortem proxime abeſſe. Quo magis enim vis & plenitudo pulſuum imminuitur, eo magis periculum ingraveſcit.

Sed illa anxietatis ſpecies, quæ a ſola ſyſtematis nervoſi ataxia proficiſcitur, quamvis non raro vehementiſſima atque diriſſima eſſe videatur: præſens tamen vitæ periculum non minatur, quia ſyſtematis vaſcularis motus non turbantur, ſanguiniſque circuitus ſolita cum libertate fit.

CAPUT XIII.

De ſpirandi difficultate, ejuſque cauſis & effectibus.

RESPIRATIO difficilis redditur; vel ab aëris, corpora noſtra ambientis, ſtatu mutato, vel a viis, per quas aërem in pulmones ingredi oportet, conſtrictis, aut obſtructis, vel a variis vitiis, ipſos pulmones afficientibus, quæ, ne animam reciprocare poſſint, efficiunt, liberumque ſanguinis per illos tranſitum impediunt.

Aër, juſto rarior, veſiculis pulmonalibus diſtendendis impar eſt: neque nimis calidus eas ſatis inflat. E diverſo aër, juſto denſior, nimiam diſtentionem, & nimis frigidus aliquam ſtricturam bronchiorum efficere poteſt. Fumi, vel vapores acres, quales ſulfur, ſpiritus nitri, ſal ſuccini, calx viva, &c. diſpergunt, cum aere hauſti, ſtimulorum vice

fungi, vaſorumque aëriferorum ſtricturam ſpaſmodicam facere obſervantur. Mephitidum exſpirationes, vel aër fixus, in elaſticitatis ſtatum reductus, ſi pulmonibus recipiantur, ſubito enecant: ſed, qua potiſſimum ratione id accidat, nondum explicatum eſt. Fortaſſe fibris motricibus paralyſin inducunt. Aër, nimis ſiccus, vel pulvere ſubtiliori repletus, reſpirationem magis minuſve moleſtam reddit: neque is, qui humidis vaporibus juſto plenior eſt, ſpirandi difficultatem non parit, quoniam perſpirationis materiæ tam cito, quam exhalari debet, e pulmonibus recipiendæ aptus non eſt.

Partes, quæ circa fauces ſunt, ita intumeſcere, & membranæ, quæ illas obtegunt, ſic denſari, vel muco, aut pure exſudante, operiri poſſunt, ut glottidis oſculum, viæque, eo ducentes, coarctentur, vel plane occludantur. Idem oſculum præcludi etiam poteſt a ſtrictura ſpaſmodica muſculorum, ad laryngem pertinentium.

Ipſorum pulmonum actio a variis cauſis impediri poteſt. In nonnullis thorax ita conformatus eſt, ut continuam ſpirandi difficultatem faciat: in aliis pulmones a partium vicinarum tumoribus, vel ab adipis, in pectore, nominatim circa vaſa ſanguifera majora, accumulatæ, mole comprimuntur: in aliis membrana, qua bronchia inveſtiuntur, denſatur, eadem ratione, qua membranam, nares fauceſque obtegentem, a perſpiratione prohibita denſari, ſæpiuſcule obſervamus: in aliis mucus, lubricandis bronchiis a natura deſtinatus, nimis large, aut nimis parce, ſecernitur: in aliis ſanguis ex poris, ſive finibus, arteriarum bronchialium, vel pulmonalium, in vaſa aërifera tranſit.

Mucus, ſerum, pus, in tela celluloſa pulmonum ita accumulari poſſunt, ut vaſa aërifera & ſanguifera comprimant, ac, quominus illa inflentur, per hæc autem ſanguis libere trajiciatur, impediant. Con-

creta terrena, vel tubercula ſcirrhodea, ſæpe in glandulis limphaticis, per pulmones diſperſis, generantur, & aerifera pariter, ac ſanguifera, vaſa comprimunt.

Vaſa ſanguifera ſupra modum diſtendi poſſunt, vel, quod nimius ſanguis in ipſa derivatur, vel, quod univerſa ejuſdem maſſa a peripheria corporis ad centrum celerius redit, quam pulmones eam recipere & tranſmittere poſſunt: id quod ab exercitatione corporis vehementiore, vel in vigore febris, ubi ſanguinis, per vaſa circumeuntis, velocitas increſcit, perpetuum eſt.

Dolores acriores, qui muſculos, ſpiritus reciprocationi inſervientes, afficiunt, reſpirationem neceſſario magis minuſve difficilem reddunt. Idemque accidit, ubi iidem hi muſculi, maximeque diaphragma, quod flatus interdum, vel acria, in ventriculo atque inteſtinis hærentia, ſtimulant, affectus ſpaſmodicos experiuntur. Ipſa etiam bronchia ſtricturæ ſpaſmodicæ obnoxia ſunt a cauſis internis, quæ ſæpe, quamvis magna cura ſtudioque exquiſitæ, inveniri tamen non poſſunt. Pulmones comprimi, eorumque motus impediri poſſunt, a ſero, pure, vel ſanguine, in cavea thoracis collecto, a tumore abdominis in hydrope, ab aucta magnitudine viſcerum, vel a mole fetus.

Eſtque genus morborum, quorum præcipuum & characteriſticum ſymptoma ſpiritus difficultas conſtituit. Frequentiſſimum etiam ac terribile maxime febrium ſymptoma eſt, in quibus partim ſtricturæ ſpaſmodicæ, partim motui per totum ſyſtema vaſculare velociori tribuenda eſt, qui ſanguinem ad pulmones celerius appellit, quam ut liberum per eos tranſitum invenire poſſit.

Si inflammatio pulmones occupat, ſpirandi difficultas, cum dolore tuſſique conjuncta, maximam morbi partem conſtituit. Eadem ſæpe numero affec-

tibus hyſtericis accedit, ubi a flatibus fere, aliiſve rebus noxiis, in canali cibali incluſis, proficiſcitur.

Symptoma hoc ſi ad ſummum perveniat, nec ſtatim finiatur, ſuffocatio & mors neceſſario conſequuntur. Neque enim vita, niſi humorum per pulmones tranſitus aliquam libertatem habeat, conſiſtere poteſt. Illud tamen ignorare non oportet, alterum pulmonum lobum vitæ aliquamdiu trahendæ ita ſufficere, ſi aëris ſanguiniſque per illum itinera ſatis adhuc pateant. Levior ſpirandi difficultas majorem minoremve moleſtiam exhibet, atque, ut aliud jam ſymptoma non excitet, ſomnum quidem certe neceſſario turbat.

CAPUT XIV.

Debilitas tamquam affectuum morboſorum ſimplicium ſpecies conſiderata.

DEBILITAS, ſive virium defectus, is univerſorum muſculorum ſtatus eſt, in quo ponderi corporis facile ſuſtinendo, actionibuſque ad voluntatis nutum rite exſequendis, impares evadunt.

De nulla re ægroti frequentius, quam de hoc ſymptomate, conqueruntur, ſiquidem in omni pæne morbo corporis vires deficiunt. Sed febrium ſymptoma conſtans & perpetuum eſt. In his enim, ſi quando contingat, ut corporis vires robur naturale ætatis, ſexus atque conſtitutionis rationi reſpondens, vel æquent, vel ſuperent: ſemper tamen non, niſi ad breve exiguumque tempus, eas durare videas.

Quidam Pathologi debilitatis hujus, febribus propriæ, rationem ita explicant, ut dicant, ab anima, corporis conſervationi ſemper ſollicite invigilante, viriumque, ad materiam noxiam, febrium genitri-

cem, ſuperandam expellendamque neceſſariarum, jacturam prævidente, liquoris nervei ad omnia motus voluntarii inſtrumenta diſtributionem majore ex parte intermitti, eumdem autem cordi largiſſime liberaliſſimeque ſuppeditari, ut inuſitato robori exſerendo par evadat, quo liberi & æquabilis humorum circuitus obſtacula, a ſtrictura ſpaſmodica proficiſcentia, removeri poſſint. Quod opinionis commentum quamquam iis, qui philoſophiæ mechanicæ addicti ſunt, nulla ratione ſatisfacit: fatendum tamen eſt, hos ipſos valde ignorare, quomodo res illa explicanda ſit, nec dicere poſſe, unde animalia vires ſuas derivent.

Virium fontes in ſyſtemate nervoſo quærendi ſunt. Ac nos quidem a plena ordinataque & continua liquoris illius vitalis in muſculorum fibras diſtributione eas derivandas eſſe ſtatuimus. Quæ ſententia experimentis nititur. Diſſecta enim, ligata, compreſſave chorda aliqua nervea, perpetuum eſt, muſculos, quibus ea proſpicit, omni robore motuque privari.

Proximæ igitur debilitatis cauſæ in hoc ponuntur, quod liquoris nervei, in fila, muſculis præcipue dicata, influentis, diſtributio, vel fortaſſe motus vibrans, deficit, intermittitur, vel remittitur.

Cauſæ remotæ hujus defectus, intermiſſionis, vel remiſſionis, variæ eſſe poſſunt. Rebus quibuſdam vim ineſſe apparet liquorem nerveum ſubito, ut ita dicam, vitiandi, cum vi elaſtica, ſi ponendæ hujus venia detur, eum ſpolient, atque, ut motui vibranti minus par ſit, efficiant. Qui quidem effectus conſequi videntur, quotieſcumque putrefaciens aliqua acrimonia corpori inhæret, ſive illa ſponte in hoc generata, ſive hoc illa infectum ſit.

Acrior, vel diutius continuata, ſive animi, ſive corporis, exercitatio, vires muſculorum imminuit, eam ob cauſam, uti fert opinio, quod tenuis ille

liquor vitalis diſſipatur. Sanguinis, humorumve, inde ſeparatorum, profuſiones immodicæ etiam debilitatem inducunt, ſiquidem fontem, unde nova ſyſtemati nervoſo advehuntur ſupplementa, exhauriunt. Nec vero hac ſola ratione nimiæ evacuationes robur dejiciunt, ſed æquilibrium in ſyſtemate vaſculari inter partes continentes & contentas tollendo. Qua enim proportione fluida a vaſorum lateribus comprimuntur atque propelluntur, eadem particulæ repellentes, in fluidis iſtis contentæ, reſiſtunt, canaleſque diſtendunt. Itaque æquilibrio inter vim, qua vaſa ſe contrahunt, & eam, qua fluida ſe expandunt, ſublato, ſive inſolitæ ſubitæque evacuationes incidant, quæ vaſa concidere ſinant, ſive nova & repentina fluidorum fiat expanſio, qua canales nimium diſtendantur, ſemper major minorve debilitas conſequitur.

Debilitas conſtanter locum habet in omnibus fibris muſcularibus, quæ ſpaſmum paſſæ ſunt, nec unquam non in his, quibus dolores vehementiores inſederunt: id quod probabili argumento eſt, dolorem ab immoderata liquoris nervei agitatione motuque vibrante oriri, cui immoderatam ejuſdem diſſipationem & jacturam ſuccedere, neceſſe eſt.

Neceſſario quoque debilitas oritur, ſi ſyſtema cellulare aqua, vel oleo, vel, quod raro quidem, at interdum tamen, accidit, aëre elaſtico præter naturam oneratur atque obruitur, ita, ut fila nervea comprimantur. Hinc defectus virium in leucophlegmatia, obeſitate, & morbo illo, quem emphyſematis nomine appellant.

Debilitas præcipuum atque characteriſticum morborum quorumdam ſymptoma eſt, qui paralytici vocantur. Atque in his eam plerumque anæſtheſia comitatur. Sed anæſtheſia non ſemper neque neceſſario debilitatem excipit. Sæpe enim fit, ut, quamvis ſumma ſit debilitas, ſentiendi tamen vires parum,

aut nihil, minuantur: id quod vel maxime conſpicuum eſt in febribus hecticis, in quibus ſæpe paucis ante mortem horis omnes ſentiendi facultates firmas vegetaſque obſervamus. At ubi in febribus ſimul & ſentiendi & movendi vires deficiunt, præſertim, ſi a prima acceſſione ſumma debilitas fuit, cubantem in maximo vitæ periculo verſari, merito judicamus.

Morbi paralytici quum circuitum ſanguinis univerſum non afficiant, nec ſyſtematis vaſcularis motus turbent, complures ſæpe annos ſic permanent, ut vitæ ſpatio nihil demant. Sed in debilitate febrili, quæ ab utroque ſyſtemate turbato proficiſcitur, niſi & ſanguinis circuitus, & liquoris nervei diſtributio, per totum corpus mature libertati atque æquabilitati reſtituantur, ſalva eſſe vita non poteſt.

CAPUT XV.

De ſpaſmo.

CONTRARIUM debilitati ſymptoma ſpaſmus eſt, quum partes corporis muſculoſæ inſolitum ac portentoſum robur exſerunt, & ſemet ipſæ præter voluntatis nutum contrahunt. Violentas iſtas, atque, invitis nobis, incidentes muſculorum actiones interdum vehemens dolor, alias abſoluta anæſtheſia, cómitatur. Nonnunquam ſpaſmis ſymptomata febrilia accedunt: interdum ſyſtema vaſculare nihil omnino ab iis mutatur. Quod ſi eſt, morbi ſpaſmodici, ſimiliter, ut paralytici, plures per annos ita manere poſſunt, ut ægro vitam non adimant.

Proximas ſpaſmi cauſas, in ſyſtemate nervoſo quærendas, iis, quæ debilitatem & laxitatem inducunt, contrarias eſſe, haud falſo affirmare poſſe nobis videmur. Spaſmum itaque a liquoris nervei motu nimio, vel inordinata per fibrarum muſcularium faſ-

ciculos diſtributione oriri dicimus. Nimia liquoris hujus copia ad muſculum aliquem delata, dubitari non poteſt, quin is nimia vi contrahatur, roburque naturali majus exſerat. Quumque omnes in corpore humano muſculi, pauciſſimis exceptis, gemini ſint, qui contrarii inter ſe obnituntur, palam eſt, æquilibrio iſto, inter muſculos antagoniſtas per inordinatam atque inæqualem liquoris vitalis diſtributionem ſublato, ſtatim conſequi, ut muſculi in una quidem parte violenter & præter voluntatem contrahantur, in altera autem debilitentur ac relaxentur.

Quemadmodum ſine certa quadam ſyſtematis vaſcularis plenitudine ac tenſione muſculi viribus ſuis exercendis pares eſſe plane non poſſunt: ita, vaſis ſubito exhauſtis & collapſis, non tantum univerſorum muſculorum debilitas, ſed haud parum ſæpe ſpaſmus conſequitur, quem ab inordinata fibrarum motricium relaxatione, æquilibrio inter muſculos antagoniſtas ſublato, pendere, dubium non eſt.

Quum modum, quo cauſæ proximæ nimii hujus motus, vel inordinatæ diſtributionis, agunt, prorſus ignoremus, ſtimuli vocabulo contenti eſſe debebimus, quo quidem omne id ſignificamus, quod, ſolidis vivis admotum, motus inſolitos in ipſis excitat. Stimuli hi ſpaſmos efficiunt vel in iis muſculis, quibus proxime admoventur; velut a tibiæ fractæ teſtis cruris muſculi interdum convelluntur: vel in his, qui longius diſtant, & cum nervis, quibus ſtimulus admotus eſt, nullo modo connexi eſſe videntur; velut vermes, vel acria, nervos inteſtinorum afficientia, in artuum truncique muſculis convulſiones excitant: vel denique ſtimuli ſpaſmos efficiunt, ſi origini nervorum intra calvariam admoventur; velut, ſi, cranio fracto, fragmenta acuta in cerebrum urgentur.

Præter ea, quæ acuminibus ſuis angulatis mechanice agunt, ut hæc, quorum exempla dedimus,

alia varii generis ſtimulantia ſunt, quæ deinceps ſeorſim conſiderabimus.

Effectus ſpaſmorum, pro majore minoreve eorum violentia, ambitu, ac longinquitate, magis minuſve moleſti & periculoſi ſunt. Omnem ſpaſmum perpetuo debilitas aliqua excipit, quam ex liquoris nervei diſſipatione atque jactura oriri credimus.

Spaſmus præcipuum & characteriſticum morborum quorumdam ſymptoma conſtituit. Atque in nonnullis quidem muſculi violenter ac præter voluntatem contracti manent: in aliis autem per alternas contractiones & relaxationes, contra omnem voluntatis conatum, agitantur. Quoſdam ex his morbis dolor comitatur; alii dolore vacant; in aliis plena anæſtheſia apparet.

CAPUT XVI.

De inſenſibilitate, ſive anæſtheſia.

ANÆSTHESIA ſimiliter, ut quodvis aliud ſymptoma, magis minuſve moleſta ac periculoſa eſt, prout longius breviuſve temporis ſpatium ei accedit, prout gravior leviorve eſt, & prout major minorve ſyſtematis vaſcularis ataxia privationem facultatis in ſyſtemate nervoſo, præſertim in hac illius parte, quæ ſenſuum actioni dicata eſt, comitatur. Hic enim Lectores noſtri in memoriam ſibi revocent diſtinctionem illam nervorum, quam ſupra poſuimus, ubi haud obſcure ſignificavimus, veterum Phyſiologorum ſententiam nobis probari, qui nervorum faſciculos ita diſtributos eſſe exiſtimarunt, ut alii fibris muſcularibus, alii ſenſuum organis proprie inſerviant.

Quamvis nihil omnino diſcriminis inter duo hæc

nervorum genera obſervare liceat: diſtinctio tamen illa, quum ad explicandam ſymptomatum nervoſorum theoriam in primis faciat, merito retinenda eſſe nobis videtur. Itaque debilitas & ſpaſmus pro nervorum moventium affectibus morboſis haberi, ac debilitatis quidem cauſæ proximæ in liquoris vitalis per hos filorum nerveorum faſciculos diſtributione imminuta, vel intermiſſa, ſpaſmi autem in eadem nimium aucta, vel inordinata, poni poſſunt. E diverſo dolor & anæſtheſia ad nervorum ſentientium affectus referri debent, ita quidem, ut dolor a motu vibrante horum nervorum nimio, anæſtheſia vero ab eodem imminuto, vel interrupto, derivetur. Singulorum artuum, vel organorum, anæſtheſia unde exiſtat, ſæpe detegere nobis licet, eamque a nervorum, ad partes has affectas currentium, compreſſione, liquoris vitalis per ipſas diſtributionem impediente, repetendam eſſe invenimus. Sed univerſi corporis anæſtheſiam a partium, cranio incluſarum, vitiis derivari oportet. Ac ſane cadaverum diſſectiones docuerunt, ab aqua, in ventriculis vel inter plicas cerebri collecta, a ſanguine, ibidem locorum e vaſis effuſo, a calvaria depreſſa, a vaſis ſanguiferis ac ſinubus diſtentis, vel obſtructis, in compluribus cerebri medullam compreſſam, liberamque liquoris nervei diſtributionem, vel fortaſſe ſecretionem, impeditam fuiſſe.

At ſæpius tamen anæſtheſiæ fontes haud paulo obſcuriores ſunt, ubi eam ab ataxia quadam nervorum ventriculi atque inteſtinorum, quæ variis rebus noxiis onerata ſunt, dependere apparet, ita, ut συμπαθείας vocabulo contenti eſſe debeamus.

Anæſtheſia nonnunquam totum corpus occupat, nec tamen vis muſculorum admodum imminuta deprehenditur, nominatim in morbo illo rariori, qui catalepſis nominatur. Quamquam enim, qui eo correpti ſunt, omni prorſus ſenſu carent, ut nihil a

mortuis differre videantur: muſculorum tamen vires ad pondus corporis ſuſtentandum, & quoſcumque artuum ſitus, quos adſtantes finxerint, retinendos ſufficiunt. Fere vero nervi motores eodem tempore, quo ſentientes viribus ſuis naturalibus exercendis impares evadunt, turbantur, muſculique aut paralyſin, aut convulſionem, patiuntur. Ita res ſe habet in apoplexia, paraplegia, hemiplegia, atque epilepſia, ubi anæſtheſiam ſemper aut atonia, aut ſpaſmus, comitatur. Et in febribus vehementioribus, quum ad finem tendunt, ac vaſa cerebri nimium repleta atque diſtenta ſunt, virium reſolutioni, quæ ex præcipuis illarum ſymptomatibus eſt, plerumque major minorve anæſtheſia accedit.

CAPUT XVII.

De ſenſibilitate nimia, ſive hyperæſtheſia.

QUUM rerum externarum impreſſiones, etſi moderatæ & conſuetæ, moleſtum tamen ſenſum inferunt, ſymptoma hoc a ſcriptoribus quibuſdam erethiſmus appellatur, ſed magis proprie hyperæſtheſia, ſive ſenſibilitas nimia, nominari poteſt.

Non confundendus eſt hic affectus morboſus cum dolore, quem anima ſemper ita ſentit, ut eum ad ſingulas corporis partes, quæ injuriam, vel vim, pati ſtatuuntur, referat, quum hyperæſtheſia ſenſum moleſtum, per totam corporis univerſitatem diffuſum, involvat.

Singula interdum ſenſuum organa ſic affecta ſunt, ut conſuetas impreſſiones ſine moleſtia perferre non poſſint. {Sic, exempli gratia, quorumdam oculos modica lux, aureſque modicus ſonus offendit. Præterea in nonnullis certum quemdam erethiſmum ob-

ſervamus, qui naturalis eſſe videtur, ut, quidquid vel minima ſtimulandi atque irritandi vi præditum eſt, corpus inſigni quadam ratione afficiat: quemadmodum e contrario aliorum corpora ita conſtituta ſunt, ut ſentiendi facultates, tam internæ, quam externæ, admodum hebetes ac languidæ appareant.

Sed ſi erethiſmus tantus eſt, ut ad ſymptoma evaleſcat, vix ulli eorum, quæ hactenus conſideravimus, gravitate concedit, morbique, quorum partem conſtituit, in vehementiſſimis maximeque funeſtis merito numerantur. Hydrophobiæ, quæ ægrotos plerumque intra quatriduum jugulat, ſymptoma præcipuum & characteriſticum erethiſmus eſt: levior in affectibus maniacis, hyſtericis, hypochondriacis, febribuſque nervoſis, occurrit.

Cauſam hyperæſtheſiæ proximam in univerſi ſyſtematis nervoſi, qua ſentiendi facultati dicatum eſt, motu vibrante nimio haud abſurde ponere nobis videmur. Ac, liquorem nerveum nimis abundare poſſe ſi largiaris, ab hac ipſa ejus ſuperfluitate interdum hyperæſtheſiam repetere licebit, ſimiliter, ut atonia & anæſtheſia ſæpe ejuſdem liquoris defectui adſcribi poſſunt.

Symptomati huic, ſi paulo diutius maneat, neceſſario delirium ſuccedit, quod decimum quintum ſymptoma generale, eorumque, quæ enumeravimus, ultimum conſtituit.

CAPUT XVIII.

De delirio.

DELIRII vocabulo eam omnium mentis facultatum perturbationem ſignificamus, quæ, decimæ ſanitatis abſolutæ conditioni repugnans, hominem

impedit, quominus res recte percipiat, vereque de iiſdem judicet, reminiſcendi & imaginandi facultatibus eodem tempore confuſis ac perverſis.

Variæ delirii ſpecies, variique gradus ſunt, quos diſtingui, in præſentia quidem neceſſe non eſt. Conſiderare autem nunc oportet illas corporis mutationes, a quibus hæc mentis facultatum perturbatio derivari poteſt. Etſi enim in delirio ſincero nullum corporis vitium apparet: tamen, ſi ſanum memoriæ, imaginationis, & judicii exercitium ab æquabili, libera, ac moderata diſtributione motuque vibrante liquoris vitalis in ea ſyſtematis nervoſi parte, quæ ſenſuum internorum organa conſtituit, dependere merito ſtatuitur, neceſſario ſequitur, ut, ſi quando diſtributio iſta motuſque vibrans a norma deflectat, vel juſtum modum excedat, facultates illæ mentis perturbentur, eadem ratione, qua ſolertiſſimus Muſicus e cithara, cujus nervi incompoſiti, aut minus apte contenti, aut parum concordes ſunt, neque melos, neque harmoniam, elicere poterit. Has delirii cauſas proximas eſſe arbitramur. Remotarum nonnullæ ad ipſam mentem per ſe pertinent, nec raro a meditationibus profundioribus, atque acriore ad ſtudia abſtruſiora attentione, naſcuntur. Vehementiora pathemata, aliæque animi affectiones, ſæpe numero non delirium modo excitant, ſed evidentes etiam ac permanentes ipſius habitus externi mutationes efficiunt.

Delirium frequentiſſime febribus, perpetuoque & conſtanter cerebri, vel membranarum ejus, inflammationi accedit, nec raro præcipuum atque characteriſticum morborum quorumdam, febris prorſus expertium, ſymptoma eſt.

CAPUT

CAPUT XIX.

Conſectaria, ex præmiſſa de ſymptomatibus morborum generalibus diſputatione profluentia.

QUINDECIM illorum ſymptomatum generalium, quorum unum atque alterum, variis gradibus atque proportionibus, in quovis morborum genere occurrit, explicatio, hactenus propoſita, clare oſtendit, ea proxime ad ſyſtematis nervoſi ac vaſcularis motus turbatos eſſe referenda. Nam quemadmodum ſanitas abſoluta a moderato, æquabili, & libero fluidorum animalium circuitu atque diſtributione dependet: ſic morbos, qui ſanitatis abſolutæ conditionibus repugnant, vel ab iis deflectunt, totidem mutationes eſſe invenimus, quæ contingunt in motu, vel liquoris nervei, cujus origo cerebrum eſt, vel ſanguinis, humorumque inde ſeparatorum, qui per totam illam vaſorum univerſitatem, cujus centrum cor eſt, perfluunt.

Quum quindecim illorum ſymptomatum generalium cauſas proximas ratione animoque luſtraveris, nullum eſt, niſi forte ſenſus caloris nimii interdum excipi debeat, quin aut ab unius ſyſtematis nervoſi mutationibus dependeat, aut nervorum affectus ſit, cum turbato ſyſtemate vaſculari conjunctus. Unde liquido intelligi poteſt, quum ſyſtematis nervoſi motus nullis omnino, quas quidem cognitas habemus, legibus hydraulicis adſtringantur, quam fallaces, &, ſi verum dicere licet, periculoſas eſſe oporteat omnes iſtas theorias, quæ metiendis vaſorum diametris, ac ſupputanda fluidorum, per illa circumeuntium, vi atque velocitate nituntur, ſiquidem nihil ad praxin a vera ratione devertendam plus valet, quam con-

ſectaria, ex falſis, vel, ut leviſſime dicam, incertis iſtius modi theoriis elicita.

Fruſtra medicina demonſtrationes geometricas ſibi vindicat, & profeſſores illius intra limites, quibus ars circumſcripta eſt, ſe continere debuerant.

Explicita affectuum morboſorum generalium natura, demonſtratis eorum effectibus, conſtitutiſque, quantum phyſiologiæ auxilio fieri potuit, cauſis proximis, cauſas remotas explicare nunc aggrediamur, quæ, nata occaſione, cum morbifica corporis conditione ad morbos procreandos concurrunt.

CAPUT XX.

De cauſis morborum remotis, ſive poſſibilibus.

QUI de morbis ſimplicioribus & ſimpliciſſimis, ſive ſolidarum, ſive fluidarum partium, egerunt Pathologi, minus proprie locuti ſunt. Morbi enim vocabulum, ſenſu ſtrictiori acceptum, moleſtiarum, vel infirmitatum, concurſum innuit. Quos igitur illi morbos ſimpliciores vocant, eos nos ad veri nominis morbos non referimus, ſed tantummodo pro cauſis poſſibilibus, ſive conditionibus morbificis, habemus, quæ in dolore, nauſea, debilitate, aliiſque affectibus morboſis generandis, concurrere poſſunt.

Ordiemur a conditionibus morbificis fibrarum ſolidarum, per ſe conſideratarum.

Varium robur fibrarum animalium, ſi has extra nexum cum principio illo vitali, quod ipſas facultatum, rebus viventibus propriarum, exercitio pares reddit, conſideremus, in varia particularum, eas conſtituentium, cohærentia conſiſtat, neceſſe eſt.

Cujuſcumque naturæ principium hoc cohærentiæ fuerit, mutationi obnoxium eſt, ut quod modo deficiat, modo redundet. Inde ex una parte debilitas, mollities, laxitas: ex altera robur, duritia, rigor.

At ſi ſolida viva, ſive fibras vita præditas, conſideremus, facultates animales ſic exerceri poſſe inveniemus, ut ſanam menſuram aut excedant, aut infra eam ſubſiſtant.

Si perſpexeris, quid ex redundantia, aut defectu, principii illius coagmentantis in ſolidis, ut inertibus conſideratis, itemque, quid ex nimio, aut deficiente, exercitio facultatum, fibras iſtas animantium, neceſſario conſequatur: hæc igitur ſi perſpexeris, quid ſint morbi vaſorum minimorum, ſeu ſolidorum continentium, quo nomine a BOERHAAVIO & GAUBIO appellantur, intelliges.

Ex debilitate enim, laxitate atque anæſtheſia, conjunctis, motuum animalium remiſſio neceſſario oritur: unde frigus, languor, & defectus facultatis abſorbendi in venis limphaticis, cum pororum oſculorumque, in arteriis minimis hiantium, dilatatione, quæ fluida contenta exſudare, vel in telæ celluloſæ interſtitiis deponi patitur, atque ita tumores, humorumque colluviones, in variis locis excitat. A nimio contra robore ac rigore, cum hyperæſtheſia conjuncto, motus animales non poſſunt non intendi: unde calor immodicus, dolor, agrypnia, omniaque illa ſymptomata, quæ morbos, in quibus commotio febrilis, vel inflammatio eſt, efficiunt.

Habes hic quaſdam ex illis corporum proprietatibus, quæ temperamentorum, uti vocari conſueverunt, differentias conſtituunt. Temperamenta enim, quæ antiquiores Phyſiologi tantum ad fluida retulerunt, atque ex uno alterove quatuor illorum humorum principum, quem præter cæteros eminere opinati ſunt, ſanguinei, phlegmatici, cholerici, vel

melancholici, appellationibus diſtinxerunt, ea nunc a majori minorive robore & ſenſibilitate, diverſimode inter ſe conjunctis, repetuntur.

I. Magnum vaſorum robur cum magna ſenſibilitate temperamentum conſtituit, ei ſimile, quod veteres ſanguinei nomine inſigniverunt.

II. Exiguum vaſorum robur cum magna ſenſibilitate temperamentum hyſtericum efficit, quod cholerico aliquatenus reſpondet.

III. Magnum vaſorum robur cum exigua ſenſibilitate temperamento melancholico congruit.

IV. Exigua ſenſibilitas cum exiguo vaſorum robore id temperamentum ſiſtit, quod veteres ſcriptores phlegmaticum appellarunt.

Demonſtratis conditionibus morbificis partium continentium, ſequitur, ut partium contentarum conditiones morbificas conſideremus.

Fluida animalia ex particulis, ipſa natura diverſis, conſtant, quæ viribus attrahentibus & repellentibus in ſe mutuo agunt: unde varii ac multiformes illarum coalitus oriri poſſunt.

Vehementer inter ſe diſcrepant opiniones de mutationibus morbificis fluidorum animalium, in quibus plerique communem morborum fontem quærere conſueverunt. Neque exiguus eſt theoriarum numerus, quæ hac de re propoſitæ ſunt inde a tempore Galenicorum, quo numerus humorum quaternarius viguit, uſque ad illud, quo Chemici quidvis ex principiis ſuis, ſale, ſulfure, & mercurio, acido & alkali, explicuerunt, ac donec tandem Phyſiologi mechanici cubos ſphæraſque, ſpicula cuneoſque, in fluidis animalibus videre ſibi viſi ſunt.

Sed omnes iſtius generis theoriæ multum damni in artis exercitium inferunt. Si quis enim illas amplectitur, is tantum de peculiaris cujuſdam humoris noxii, cujus ſpeciem animo figurat, correctione, vel expulſione, cogitans, naturæ conatus obſervare ne-

gligit, vel eam cognitionem, quæ ab experientia proficiſcitur, nullius momenti putat.

Acrimoniæ vocabulo omnes illæ materiæ morbificæ concluduntur, quæ, ſanguini immixtæ, vel ſanam ejus craſin deſtruunt, vel ſolida viva ſtimulant, aut inertia corrodunt.

Quum theoria materiarum harum morbificarum ſemper pro neceſſaria pathologiæ parte habita fuerit, brevibus eam lineis hic deformabimus, qualis propoſita eſt a GAUBIO, qui ex recentiſſimis ſcriptoribus eſt, optimeque hoc argumentum explicuiſſe creditur, tametſi valde dubitemus, an diſtinctiones ipſius nobis, in arte exercenda verſantibus, multum utilitatis allaturæ ſint, ſiquidem perraro evenit, ut ab iis, in quas acrimoniam diduxit, ſpeciebus morbos commode deducere liceat.

GAUBIUS igitur quinque acrimoniæ ſpecies ponit, acidam, alkalinam puram, putridam, muriaticam, ammoniacalem, ſeorſimque eas malorum ſpecies enumerat, quæ ab acrimoniis iſtis, ſi ſanguini vere ineſſe ſtatuantur, oriri poſſunt.

I. Ab acrimonia acida, particulas aquoſas trahente, retinente, inflammabiles ſupprimente, terrenas ſolvente, corpus pallet, friget, ſolida laxantur, vigor motuum vitalium minuitur ac langueſcit: unde humorum ſtagnatio & corruptio, puſtulas, ulcera, pruritum, dolorem, pariens.

II. Acrimonia alkalina, ſanguinis craſin pariter, atque acida, deſtruens, terram oleumque fundit, ſolida viva irritat, & latera vaſorum corrodit, atque ita ſpaſmos, ſanguinis e vaſis effuſiones, variorumque humorum profluvia, pro canalium, quorum contextus deſtructus, vel læſus eſt, natura, efficit.

III. Acrimonia putrida, quæ cum acrimonia alkalina pura neutiquam confundi debet, in corpore humano nata, vitæ omnium maxime infeſta eſt, ſanguinem diſſolvens, & ad nutriendum ineptum red-

dens, ſolida viva debilitans atque irritans, eademque pariter & inertia corrodens: unde univerſæ motuum vitalium œconomiæ perturbatio, neque arti, neque naturæ, ſuperabilis.

IV. Ab acrimonia muriatica, quam ſalis cibarii abuſus per humores diffundit, præcipue pruritus, cutis rubor, puſtulæ, ulcera, macies, interdum articulorum rigor, carniumque duritia inflexibilis, oriri dicuntur.

V. Par fere ratio eſt acrimoniæ ammoniacalis, quam ſales, propter excretionum naturalium ſuppreſſionem in fluidis retenti, procreare creduntur.

Omnia hæc examuſſim ſyſtematica, nec lectu injucunda ſunt: ſed, ſi varias illas acrimoniæ ſpecies in ægrotantibus quæras, raro tam felici eſſe tibi licebit, ut eas invenias, aut diſtinguas.

Novimus ſane, variolas, morbillos, luemque veneream, a peculiaribus quibuſdam materiis ſubtiliſſimis naſci, ex quibus conſtanter hos, non alios morbos gigni, experientia docet. Sed natura atque indoles materiarum iſtarum definiri non poteſt. Quis enim deſcribat, cujus figuræ, coloris, magnitudinis, odoris, ſaporis, particulæ illæ ſint, quæ aliquem ex morbis, modo commemoratis, generare poſſunt? Quapropter, ſi quis ea, quæ reapſe utilia ſunt, conſectatur, is nunquam propriam acrimoniarum iſtarum naturam inveſtigare conabitur, (quid enim eſt aliud tempus perdere, ſi hoc non eſt?) ſed, ubi ſemel notas & ſigna repererit, quæ peculiaris cujuſdam materiæ morbificæ præſentiam manifeſtant, his inhærebit, atque, experientia magiſtra, diſcere adlaborabit, quid materia iſta efficere fere ſoleat, quaque ratione eam corrigere, vel expellere, liceat. Ita vero ægrotis, quorum curam agit, vere proderit, quum contra ii, qui methodum ſcholaſticam ſequuntur, cavere vix poſſint, ne in periculoſos errores incidant.

Exempli gratia, adit te ægrotus, qui omnes acri-

moniæ acidæ notas, a pathologiæ ſcriptoribus recenſitas, exhibet. Pallet, languet, cutem puſtulæ obſident.

Quod ſi jam, ſine ulteriori examine, curationem hujus ægri ſuſcipere, eique ſales alkalinos, vel terras abſorbentes, aliave, quibus acidam iſtam acrimoniam debellatum iri tibi perſuades, imperare velles, inania fortaſſis atque irrita imperares. Fieri enim poteſt, ut, ægrum propius, remotis arbitris, examinans, humores ipſius non ab acrimonia acida, ſed a viro venereo, corruptos eſſe invenias. Itaque non amplius de remediis, acori contrariis, cogitabis, ſed hoc tibi negotium datum eſſe credes, ut peculiarem illam materiam morbificam, quæ luem veneream progignit, iis medendi rationibus, quas experientia præ cæteris efficaces eſſe demonſtravit, corrigas atque expellas.

Materiam igitur morbificam a morbo, quem proprie ex ipſa generari conſtat, appellaſſe contenti, nihil ad nos pertinere exiſtimemus, utrum reliquas ejus proprietates cognitas habeamus, nec ne, dum dicere poſſimus, quid illa, ſi adſit, efficiat, & quæ res eam corrigant, vel expellant. Commoda hujus methodi exemplo illuſtriora evadent.

Ægrotus quidam queritur de articulorum dolore, cum anorexia, languore, ac ventriculi moleſtia: alius de dolore, media oſſa potiſſimum afficiente, acerrimeque noctu, quod a lecti calore exaſperatur, ſæviente, una cum cæteris, quæ diximus, incommodis. Jam, ſi obſervationes, quæ per manus traditæ nobis ſunt, examines, priorem dolorem a materia arthritica, alterum a ſyphilitica, moveri invenies. An vero eſt quiſquam, qui dicere poſſit, cui rei materiæ illæ morbificæ ſimiles ſint, utrum ad naturam alkalinam, an ad acidam, tendant? Sed experientia docuit, priore ad articulos ejecta, ita, ut acrem doloris acceſſum provocet, altera per argentum vivum

correcta, utrumque ægrum cito plenæ ſanitati reſtitui. Itaque, ſi ſapies, cauſas horum morborum non referes ad acrimoniam acidam, alkalinam, aut muriaticam, nec ſollicitus eris de medicamentis, quæ cauſis iſtis fictis opponas, ſed ſtatim priori ægroto ea exhibebis, a quibus naturæ conatus in materia arthritica ad articulos ejicienda adjuvari conſtat, alteri ea, quæ viro venereo corrigendo atque ſubigendo paria eſſe cognoviſti.

Materiarum harum morbificarum, quæ, nata occaſione, peculiaribus morborum ſpeciebus generandis pares inveniuntur, duo ſunt genera, unæ nativæ, quæ ſponte in corpore oriri videntur, adventiciæ alteræ, quæ extrinſecus corpus ſubeunt, vel per infectionem, quæ materiæ cujuſdam ſubtiliſſimæ tranſmiſſionem ab uno corpore in alterum ſine contactu denotat, vel per contagionem, quæ ad materiæ illius tranſmiſſionem ipſum contactum mutuum requirit.

Ad materias morbificas nativas omnes eæ pertinent, quæ arthritidem, rheumatiſmum, ſcorbutum, ſcrofulas, cancrum, procreare poſſunt.

Ad adventicias referimus omnes illas ſtupendæ ſubtilitatis materias (miaſmata vulgo nominant) quæ per aërem ſeſe diffundere, & peſtilentiam aliaſque febres epidemicas, variis nominibus diſtinctas, dyſenteriam, tuſſim ferinam, &c. vulgare poſſunt, ſicut etiam ſalivam animalium rabioſorum, venenum viperarum, aliarumque beſtiarum nocentium, materiam luis venereæ, ſcabiei, aliorumque quorumdam vitiorum, cutem occupantium.

Enumeratæ hæ materiæ morbificæ, in corpore generatæ, vel extrinſecus in id delatæ, ſuam quæque morbi formam ſibi propriam procreant, iis dumtaxat cum varietatibus, quas ætas, ſexus, corporiſque conſtitutio afferunt: quod tamen ſic demum contingit, ſi corpus eodem illo tempore ita comparatum eſt, ut materiæ morbificæ actioni velificetur. Conſtans

enim naturæ lex hæc eſt, ut morbi, qui a variis illis acrimoniæ ſpeciebus, nata occaſione, oriri poſſunt, non tantum materiæ morbificæ præſentiam, verum etiam certam quamdam diatheſin, corpori inhærentem, quæ materiæ morbificæ actionem adjuvet, requirant, antequam vere exiſtere poſſint. Non præſumimus, diatheſeos hujus naturam explicare nos poſſe, ſed ſatis habemus, rem ipſam certam, atque experientia ad liquidum perductam eſſe. Sic inter omnes conſtat, rariſſime accidere, ut variolæ, morbilli, tuſſis ferina, eumdem hominem bis corripiant. Ecquis autem vel probabili conjectura naturam mutationum illarum, in corpore factarum, aſſequetur, quæ eam hujus diatheſin relinquant, ut eadem materia morbifica eaſdem œconomiæ animalis turbas iterum concitare nequeat? Atque ita ſæpius evenit, ut, ſi pluribus ejuſdem familiæ hominibus, eadem hora, & conditionibus, quantum apparet, per omnia ſimilibus, variolas inſeras, non omnes tamen morbum nanciſcantur, ſed aliqui immunes maneant. Idemque in aliis quoque morbis, per infectionem, vel ipſam contagionem, naſcentibus, obſervare licet, ubi ſubinde quibuſdam tam felicibus eſſe contingit, ut peculiari illa diatheſi, ſine qua materia morbifica morbum procreare non poteſt, careant.

Quum materiæ hæ morbificæ ipſa natura differre, propriiſque viribus mutationes in corpore vivo efficiendi præditæ eſſe videantur, quæ quidem mutationes, quantum ætas, ſexus, corporiſque conſtitutio patiuntur, non variant, ſed uniformes ſunt, conſequens eſt, ut, ſi res, virtutibus materias illas morbificas ſubigendi præditas, invenire nobis liceret, pravis uniuſcujuſque effectibus præcavendis pares foremus. Sed ea eſt generis humani infelicitas, ut adhuc non, niſi perpauca ejus modi auxilia, detecta ſint. Exceptis enim febrium quarumdam, ſcorbuti, luiſque venereæ materiis morbificis, nulla eſt, cujus reme-

dium certum ars medica poſſideat. Ad illos ſane morbos experientia nobis ſuppeditavit auxilia, quæ, ſi mature, & cum cura atque attentione aliqua, adhibeantur, rariſſime fallant.

At ſi adverſus hos morbos, quos modo commemoravimus, certa inveniri potuerunt remedia, non video, quidquid in contrariam partem dicatur, cur ſimilia adverſus plures reperiri nequeant. Sine audacia igitur non ſperare, ſed confidere, audemus, ipſius arthritidis ipſiuſque cancri auxilia aliquando detectum iri. Cancri virus, quantumvis terribile, terribilius tamen non eſt, quam ſyphiliticum tum fuit, quum ligni guaiaci & argenti vivi virtutes a medentibus adhuc ignorabantur. GUICCIARDINUS, celebris ille Italorum hiſtoricus, teſtis oculatus refert, luem veneream, per plures a primo ſuo in Europam ingreſſu annos, innumeris utriuſque ſexus & cujuſcumque ætatis hominibus perniciem attuliſſe, plurimos tam horrendum in modum deformatos fuiſſe, ut per omnem vitam inutiles, ac perpetuis fere doloribus obnoxii manſerint, eoſque, qui ſanati viſi fuerint, maxima ex parte cito in eamdem miſeriam recidiſſe. Quod ſi jam certum morbi hujus remedium, non, niſi noſtra demum ætate, detectum fuiſſet, quot hominum millia ex illo non minus miſere, quam ex cancro vel maxime inveterato, periiſſent! Sed redeamus illuc, unde defleximus.

Si materiam morbificam, qualiſcumque naturæ fuerit, tantum in ſyſtematis cellularis cavis, quorum latera ex fibris lamelliſque inertibus contexta ſunt, depoſitam, atque omnino nec cum liquore nerveo, nec cum ſanguine, aliiſque humoribus, in ſyſtemate vaſculari contentis, remixtam eſſe ſtatuamus, facile intellectu eſt, materiam noxiam adeſſe poſſe, nec conſpicuam tamen ſanitatis mutationem inde accidere. Sic variolarum inſitio docuit, materiam illarum octo vel decem dies in corpore ita remanere, ut nul-

lum ſui indicium præbeat. Et canis rabioſi ſaliva per cutem, morſu vexatam, corpori inſinuata, plures tamen hebdomades, imo nonnunquam menſes, prius elabuntur, quam hydrophobiæ ſymptomata appareant.

Cur una materiæ morbificæ ſpecies tanto citius ſeſe manifeſtet, quam altera, ratio probabilis reddi non magis poteſt, quam cur animalis rabioſi ſaliva aquæ timorem faciat, aut variolarum materia hominem in febrem conjiciat, & puſtulis ubique cooperiat.

Eadem cujuſvis alius materiæ morbificæ ratio eſt. Quamdiu in ſyſtemate cellulari detinetur, nullum ex quindecim illis ſymptomatibus generalibus unquam excitat. Ac, propter rationes jam adductas, ſi peculiaris quædam materia acris, vel morbifica, ab humorum univerſitate ſeparari, atque ex viis, per quas hi tranſeunt, ejici, hoc eſt, ex vaſculari ſyſtemate in cellulare transferri poteſt, irritatio, quam ſtimulus illius effecit, eoque ipſo omnia ſymptomata, ab hac irritatione dependentia, conquieſcunt.

Ita plures morbi, exanthematibus in cute eruptis, levantur. Particulæ enim noxiæ per naturæ conatus, atque inexplicabilem quemdam, ut ita dicam, proceſſum, in motu fluidorum inteſtino contingentem, a maſſa humorum, per vaſa circumeunte, ſeparantur, & vel per vaſa rupta exiguntur, aut elabuntur, vel per poros, in tunicis arteriarum hiantes, exſudant, atque ita in telæ celluloſæ cavis deponuntur, ubi, inter ſolida inertia ſitæ, nihil amplius turbarum faciunt.

Omnes, de quibus hactenus locuti ſumus, materiæ morbificæ in humorum univerſitate ineſſe ſtatuuntur: ſed morbi ſæpe naſcuntur ab humoribus, aliiſque rebus vitioſis, quæ in primis viis retentæ, vel accumulatæ ſunt.

Fredericus Hofmannus primus fuiſſe videtur, qui hanc rerum noxiarum in canali cibali accumulationem majore cum attentione conſideraverit, in eaque

plurium morborum fontem quærendum eſſe docuerit. Feliciſſime Vir celeberrimus perveſtigavit συμπαθείας, quæ ventriculum inter & varias corporis partes obtinent, ejuſque veſtigia in hac inquiſitione nuper ſecutus eſt Cl. WHYTTIUS.

Patet ex his obſervationibus, nullam fere turbatorum motuum animalium varietatem eſſe, quin æque a materiis morbificis, in canali cibali retentis, vel accumulatis, atque a variis illis acrimoniæ ſpeciebus, quæ per fluida diffuſæ ſunt, oriri poſſit. Magna autem inter morbos, ab hac συμπαθείᾳ dependentes, & eos, qui a fluidorum vitiis naſcuntur, differentia intercedit. Morbi quippe ſympathici artis poteſtati magis ſubjecti ſunt, ac frequentius ſanantur, quam cæteri, quos idiopathicos nominant.

Cacochyliæ & ſaburræ vocabula adhibentur ad denotandam univerſam illam rerum noxiarum in primis viis accumulationem, cujus quinque ſpecies ſunt, una acida, altera amara, tertia inſipida, quarta putrida, quinta denique empyreumatica.

Symptomata, omnibus ſaburræ ſpeciebus communia, fere ſunt anorexia, nauſea, ventriculi dolor, ponderiſque ac plenitudinis in ipſo ſenſus, dolor capitis, languor, debilitas. Singulis ſpeciebus propria ſunt, quæ ſequuntur:

A ſaburra acida oriuntur ructus acidi, ventriculi tumor, tenſio, ardor & dolor, capitis gravitas & dolor, tuſſis, ſingultus, alvi duritia, interdum diarrhœa ac teneſmus.

Saburra amara parit oris amarorem, ſitim immodicam, ventriculi ardorem & dolorem, materiæ flavæ, vel viridis, vomitum, dejectiones nimias, cum inteſtinorum tormentis conjunctas, humorumque acrium evacuationes, quibus omnibus fere accedit, vel ſuccedit, color flavus, per alba oculorum cutemque univerſam diffuſus.

Phlegma inſipidum ac glutinoſum, quod tertiam

ſaburræ ſpeciem conſtituit, lentorem in ore facit, ciborum appetentiam dejicit, vermium generationi favet, flatuſque copioſos generat, qui, ſi ſurſum expellantur, ſaporem & odorem ejus rei, quæ ultima devorata eſt, vehementem, ac parum dumtaxat mutatum, referunt, ponderis interim ſenſu in ventriculi regione plerumque percepto.

Quartam ſpeciem, hoc eſt, ſaburram putridam, putridus in ore ſapor cum ejuſdem odoris ructibus, ponderis in ventriculo ſenſus, præcordiorum oppreſſio, debilitas, nauſea, fœtidæque materiæ vomitus & dejectio, conſequuntur.

A ſaburra rancida, ſive empyreumatica, naſcuntur eructationes materiæ acris oleoſæ, oleum vel butyrum frixum referentis, vehemens ventriculi ardor & dolor, cum torminibus, præcordiorum oppreſſione, ac nauſea. Atque hæc ſaburræ ſpecies arthritidem inſtantem certiſſime præſagire creditur.

In cauſis cacochyliæ generalibus juſtam corporis exercitationem neglectam, ſanguinis, humorumve, ex eo ſeparatorum, profuſiones immoderatas, mentis attentionem acriorem, in una re aſſidue defixam, animique affectus vehementiores ac diuturniores, numerare poſſumus: ſed, quum ſingularum ſaburræ ſpecierum cauſas inveſtigatum ibimus, res inveniemus, quæ unius potius, quam alterius, generationi faveant.

Ac primum quidem ſaburra acida locum habere conſuevit, ubi alimenta juſto diutius in ventriculo retinentur, vel propter debilitatem fibrarum muſcularium, ex quibus tunicæ illius contextæ ſunt, vel propter juſtam corporis exercitationem, peculiaris cujuſdam negotii, aut profeſſionis, cauſa, vel ſolo attentionis defectu, neglectam. Ita enim fieri poteſt, ut maſſa illa, ex alimentis ſucciſque, digeſtioni inſervientibus, inter ſe commixtis, enata, cui ſecundum naturæ regulam juſta fermentatio ſubeunda eſt,

in ventriculo, vel inteſtinis tenuioribus, moras trahat, dum, fermentatione prima, ſive vinoſa, peracta, in ſecundam, ſive acidam, tranſeat. Idque facilius etiam accidere poteſt, ſi ea aſſumantur alimenta, quæ vel jam acorem habent, vel in fermentationem acidam proclivia ſunt, velut lac, fructus horæi, farinæ. Ex quo facile prædici poteſt, quod hominum genus potiſſimum a ſaburra acida infeſtari ſoleat.

Saburra, acidæ contraria, ſive putrida, exiſtere poteſt a nimia victus animalis copia, ſine juſta vegetabilis admixtione, & a rerum putreſcentium nimis longa in primis viis commoratione. Inde enim fieri poteſt, ut, acidam quoque fermentationem tranſeuntes, ad tertiam, hoc eſt, putridam progrediantur: quo facto neceſſarium eſt, ut ciborum faſtidium ac nauſea excitetur.

Saburra amara generatur, quum bilis juſto uberius ſecernitur, vel juſto diutius in inteſtino duodeno moratur, atque in ventriculum aſcendit.

Saburra inſipida glutinoſa tribuenda eſt nimiæ ſecretioni muci, quem natura ſuperficiei internæ totius canalis cibalis lubricandæ atque defendendæ deſtinavit. Laborant illa plerumque homines laxioris habitus, & potores ſtrenui, in quibus dubium non eſt, quin a glandularum mucoſarum ductibus excernentibus, per crebras liquorum ſtimulantium ingurgitationes continue irritatis, proficiſcatur.

Nimia hæc muci abundantia ſuccorum, digeſtioni inſervientium, vim diſſolventem infirmat, atque ita digeſtionem impedit. Et pinguia, vel oleoſa, ventriculo, ſic affecto, ingeſta, cum parte alimentorum aquoſa non commiſcentur, atque ex ſolo loci calore acrimoniam contrahentia, ſaburram rancidam, ſive empyreumaticam, procreant.

Quamquam major morborum, corpus humanum affligentium, numerus ex fontibus, hactenus com-

memoratis, oritur: aliæ tamen adhuc cauſæ illorum poſſibiles ſunt, a ſcriptoribus medicis ad res non naturales, quas ſcholæ nominant, relatæ.

Rerum non naturalium appellatione comprehenduntur 1) aër, 2) cibus & potus, 3) corporis motus & quies, 4) ſomnus & vigilia, 5) animi affectus, 6) res in corpore retentæ, vel ex eodem excretæ. Atque hæc ſex momenta ſuo nunc ordine erunt perluſtranda.

Primum igitur de tempeſtatibus locorumque mutationibus obſervamus, ab aëre nimis calido fluida expandi, excretionem per cutem augeri, per veſicam autem imminui. Inde ſubtiliſſimæ ſuccorum partis diſſipatio, ſitim immodicam, agrypniam, maciem, viriumque imbecillitatem pariens.

Olim exiſtimarunt, in aëre, ultra calorem ſanguinis noſtri calefacto, vitam protrahi non poſſe: ſed recentiorum obſervationes non conſentiunt, ut quæ, thermometro Farenheitiano ad gradum centeſimum ſecundum, imo altius, aſcendente, homines ſanos eſſe poſſe docuerint. Quod tamen ita pro vero ponimus, ſi rationes, ab illis ſubductæ, non fallunt.

Aër nimis frigidus ſanguinem ſpiſſum efficere, perſpirationem, occluſis cutis poris, cohibere, doloribuſque & inflammationibus originem præbere ſtatuitur.

Sicca tempeſtas, niſi nimio aut calori, aut frigori, conjuncta, fere minus, quam ſuperiores, morborum ferax eſſe exiſtimatur: aër autem humidus ſemper pro inſalubri habetur, tonumque partium ſolidarum relaxando, fluidarum mutationes morbificas efficere creditur.

At fatendum tamen eſt, cognitionem noſtram de aëris calidi & frigidi, humidi & ſicci, effectibus nimis vagam eſſe, quam ut in artis exercitio multum utilitatis inde ſperare liceat. Quamvis enim plures viri diligentes hunc laborem ſuſceperint, ut, per

longam annorum ſeriem, tempeſtatum varietates ſumma cum cura in tabulas referrent: nondum tamen id conſecuti ſumus, ut ſine dubitatione dicere poſſimus, quæ morborum genera ab illis naſcantur. Generatim tantum atque univerſe de iis loqui poſſumus. Quamquam enim dubium non eſt, quin morbos illos, qui ſæpe certis anni temporibus magnam hominum turbam una pariterque corripere obſervantur, quorumque ab una regione in alteram progreſſus veſtigari poteſt, aliquid, quod per aërem fertur, diſſeminet: haud quiſquam tamen detegere adhuc potuit, in quo morbificum illud aliquid conſiſtat. Quare, ſicut in cæteris materiis morbificis ſpecificis, ita etiam in hac, effectus obſervaſſe contenti, caveamus, ne in cauſis inveſtigandis tempus inutiliter conſumamus.

Morbos, qui ab altera rerum non naturalium claſſe proficiſci poſſunt, ſupra jam tetigimus eo loco, quo, quemadmodum variæ ſaburræ ſpecies gignerentur, oſtendimus. Minutius hoc argumentum pertractari, inſtituti noſtri limites non ſinunt. Nihilo tamen minus paucis effectus commemorabimus, qui alimenta, vel quantitate, vel qualitate, peccantia, conſequuntur.

Si ventriculus nimia alimentorum copia repletus eſt, fibræ tunicarum motrices, ſupra modum diſtentæ, vim contenta propellendi amittere poſſunt, quæ, ſic retenta, ventriculum in tumorem attollunt, ciborumque faſtidium, ſpirandi difficultatem, ac forte animi defectionem, pariunt. Quod onus niſi mature vomitionibus rejiciatur, ex inſolita illa rerum fermenteſcentium copia, ad acidam, vel ipſam putridam, fermentationem tranſeunte, flatuum eructationes, ventriculi dolor, & atrocia inteſtinorum tormenta, interdum cum dejectionibus, interdum ſine his, naſcuntur.

E contrario juſti alimenti inopia, vel inedia, diu-

tius

tius protracta, præter incommoda, ex appetitu naturali non expleto proxime oriunda, ſuccos univerſos nimis ſalſos & acres reddit: id quod protinus in ſaliva ac bile ſe manifeſtat. Ex hac autem fluidorum animalium acrimonia complures affectus morboſi, præcipue ſitis, debilitas, macies, agrypnia, ſpaſmus, delirium, & tandem mors, exiſtunt.

Qualitate ſi peccant alimenta, nimium aut acria, aut glutinoſa, aut oleoſa ſunt. Hinc autem, uti ſupra demonſtravimus, variæ ſaburræ ſpecies oriuntur, quæ pariter plurimas noxas, ibidem recenſitas, pariunt.

Alimenta, quibus utimur, hujus naturæ ſunt, vel eſſe debent, ut digeſtionis organa facultatem habeant craſin illorum ita immutandi, ut ſubſtantiæ corporum noſtrorum ſimilia reddi, cum eaque conjungi poſſint.

Sed plura vel fortuito, vel conſulto, in ventriculum ingerimus, quæ ſic immutari nequeunt. Quædam ex his vi pollent tantas tamque repentinas motuum animalium mutationes efficiendi, ut graviſſimi morbi inde erumpant, nec raro ipſa vita deſtruatur. Venena nominantur, aguntque alia, motus animales incitando, alia, eoſdem ſupprimendo atque interrumpendo.

Quædam venena maxime in ſyſtema vaſculare agunt, totiuſque fluidorum craſſiorum univerſitatis motus evidenter vel accelerant, vel interrumpunt: alia nervoſum præcipue ſyſtema afficiunt, nauſeamque, vomitum, dolorem, vertiginem, cæcitatem, delirium, convulſiones, ſoporem, anæſtheſiam, creant: alia denique non, niſi in ſingula organa, agunt, ſingulaſque ſecretiones aut promovent, aut ſupprimunt.

Venena animalia, ut viperæ, aliorumque ſerpentium peſtiferorum, virus, in ventriculum ingeſta, innoxia ſunt: vegetabilia autem, æque ac minera-lia, & guſtu, & in vulnere, nocent.

Vegetabilia hæc, vel mineralia, quamquam tantas tamque repentinas motuum animalium mutationes efficiunt, ut imprudentem illorum uſum neceſſario mors ſequatur: nonnulla tamen a Medicis, tamquam efficaciſſima remedia, adhibentur, nec parum ſæpe, ſi perita manu tractentur, mutationes ſumme ſalutares inducunt.

Ita opium, multa ex vegetabilibus catharticis atque emeticis, ac varia illa pharmaca, ex argento vivo & antimonio parata, prout improvide, aut provide, in uſum vocantur, venenorum, aut medicamentorum, vices agunt.

De tertia quartaque rerum non naturalium claſſe inter omnes conſtat, ab actione muſculorum vehementiore & diuturniore humorum circuitum nimis accelerari, calorem animalem augeri, tenuiores ſanguinis partes diffiari, ſitimque, maciem, ac debilitatem procreari. Eademque, ubi ad ſummum venit, profecto non poteſt, quin ſanam ſanguinis craſin deſtruat, eumque vitæ ſuſtentandæ ineptum reddat, aut, ſi corpus jam mali habitus eſt, & viſcera quædam corrupta ſunt, ſubitam mortem afferat.

Somnus nimis brevis, ſive vigilia immodica, robur exhaurit, mentis facultates imminuit, corpus emaciat, ciborum digeſtionem prohibet, atque univerſam humorum maſſam ita vitiat, ut acrimoniam ipſi impertiatur: unde agrypnia continens ac delirium exiſtere poſſunt.

Quies nimia & ſomnus nimis longus vires fibrarum muſcularium imminuunt, fluidorumque circuitum retardant: unde languor, mentis facultatum hebetudo, corpulentia, atque aquarum colluvies, propter defectum virium abſorbentium in vaſis valvuloſis lymphaticis, quorum actio a muſculorum, in motu conſtitutorum, preſſu laterali inſigniter adjuvatur.

Stupendæ ſunt mutationes, quas violentior animi agitatio in corpore efficit. MORGAGNUS in libri *de*

*ſedibus morborum Epiſt. XXXVIII, Art. 2, *)* duo admodum memorabilia exempla hanc in rem attulit, unum hominis, poſt vehementem iræ impetum mortui, alterum hominis, repentino atque ingenti terrore enecti. Apertis cadaveribus, in utroque plurium partium internarum non ſpecies modo, ſed ipſe etiam ſitus, ſupra, quam cuiquam credibile videatur, mutatus repertus eſt.

Ira & lætitia motus ſyſtematis vaſcularis intendunt atque accelerant: unde calor & agrypnia.

Terror ac triſtitia contrarios habent effectus, ut qui ſtricturas ſpaſmodicas creent, humores a peripheria ad centrum repellant, motuſque ſyſtematis vaſcularis retardent: unde frigus, præcordiorum oppreſſio, ſpirandi difficultas, ſitis, virium reſolutio.

Affectus magis compoſiti motus animales augere, deprimere, vel interrumpere ſolent, prout iræ &

*) Hic Noſtrum memoria fefellit, ſiquidem per totam *Epiſtolam XXXVIII*, ea, quæ a MORGAGNO commemorari dicit, fruſtra quæras. At fortaſſis *Epiſt. XXXVII*, ſcribere voluit, vel *XXXVIII*, pro *XXXVII*, per typothetæ errorem irrepſit. In *Epiſtolæ* enim *XXXVII*, *Art.* 2, exemplum Sacerdotis juvenis refertur, qui paulo poſt quamdam animi perturbationem, regio morbo correptus, decubuit, cum dolore ad regionem ſtomachi, & vomitu, cui, tertio exeunte die, febris magna acceſſit, cum delirio & convulſionibus vehementiſſimis, quibus ceſſantibus, æger, in ſoporem delapſus, quarto tranſacto die, obiit. Atque *ibid. Art.* 4, exemplum juvenis narratur, qui magno terrore perculſus, poſtridie ictericus factus, mox delirus, tum convulſivis agitationibus tantis correptus, vix ut retineri poſſet multorum manibus, intra horas a delirii initio viginti quatuor exſtinctus eſt. Sed in neutro cadavere ſtupendæ iſtæ mutationes, quas Noſter memoriæ prodidit, repertæ ſunt. In poſteriori ſane, ut ipſius MORGAGNI verbis utar, *ſectio nihil oſtendit, quod videretur magnopere adnotatione dignum, ſi vaſa excipias ſanguifera, per tenuem meningem repentia, quæ nigro ſanguine plurimum diſtenta reperta ſunt.*

lætitiæ, vel terroris & triſtitiæ, magis participes, longiores, vel breviores, vehementiores, vel moderatiores, ſunt.

Ultima rerum non naturalium claſſis, ad excretiones ſpectans, uberrimus malorum fons eſt, pro natura excretionis differentium, quæ aut ſupprimitur, aut ſupra modum augetur. Plures noxæ, a ſaburra oriundæ, ſupraque a nobis commemoratæ, huc pertinent. Præter quas conſiderandi nobis ſunt effectus, qui ex nimiis per inteſtina, veſicam, & cutis meatus excretionibus, ſicut etiam ex harum ſuppreſſione, rerumque, per tria illa corporis oſtia expellendarum, retentione conſequi poſſunt. Quum ſymptomata morborum enumeratum ibimus, occaſio nobis dabitur omnia illa mala, quæ ex fontibus hîc indicatis emanant, commemorandi, adeoque nulla nos urget neceſſitas, ut ea hoc loco in medium producamus. Generatim monuiſſe ſufficiat, excrementa in corpore ſubſiſtere non poſſe, quin varii generis noxas inferant, non tantum canales, vel receptacula, in quibus continentur, diſtendendo, debilitando, vel forte rumpendo, ſed totam quoque humorum univerſitatem vitiando, quæ hoc modo rebus noxiis, quas ex corpore eliminari oportebat, oneratur.

Sanguinis, aliorumve inde ſecretorum humorum, ad excrementa non pertinentium, profuſiones, ſi largæ repentinæque obtigerint, ſubitam debilitatem inducunt, partium ſolidarum tonum labefactant, ac reliquam maſſam idoneam reddunt, quæ in mixta morbifica coëat.

Quod ſi nunc variis his rebus, quæ hactenus enumeratæ ſunt, eas addamus, quæ, corpori extrinſecus admotæ, nocendi vim habent, ſolida viva irritando, diſtendendo, conſtringendo, vel criſpando, aut quæ partium durarum, vel mollium, contextum per fracturas, contuſiones, aduſtiones & vulnera dividere, vel deſtruere, poſſunt, initis ſubductiſque

fationibus, intelligemus, quantus numerus, quantaque varietas rerum illarum ſit, quæ morborum, vel per totum corpus orientium, vel non, niſi in ſingulis partibus incidentium, cauſas remotas, ſive poſſibiles, conſtituunt. Sollicite autem cavere nos oportet, ne hujus generis cauſas unquam cum proximis confundamus.

CAPUT XXI.

Enumeratio ſymptomatum particularium, ſive topicorum.

QUAMQUAM aliqua, vel plura, ex quindecim illis ſymptomatibus generalibus quoſcumque morbos certis quibuſdam gradibus atque proportionibus comitantur: multi tamen ſunt, quorum characterem vitia ſingularum partium conſtituunt, quæ non, niſi ſymptomatum particularium, ſive topicorum, numero haberi poſſunt. Atque hinc neceſſarium eſt, ut intelligamus naturam, cauſas atque effectus affectuum illorum morboſorum, qui oriuntur a vitiis

1) ſingularum animi facultatum;
2) ſingulorum ſenſuum externorum;
3) ſingulorum appetituum;
4) ſingularum ſecretionum;
5) ſingularum excretionum;
6) ſingularum actionum.

Quibus accedunt,

7) qui in vitiis ſuperficiariis, figuram atque habitum externum corporis depravantibus, conſiſtunt;

8) qui ſitum nexumque partium organicarum turbant;

9) qui earumdem contextum & firmitatem deſtruunt.

Quum infra, ubi de morbis particularibus, ſive topicis, agemus, occaſionem habituri ſimus omnia illa ſymptomata, quæ a vitiis, ſupra recenſitis, oriuntur, ſeorſim deſcribendi atque explicandi, ad præſens ſatis erit ea hoc ordine enumeraſſe, quo propoſita fuerunt.

I. Affectus morboſi ſingularum animi facultatum ad memoriam, imaginationem, & judicium, ut ſeparatim conſiderata, referendi ſunt. Una enim quæque harum facultatum per ſe, ſine duabus reliquis, imminui, aboleri, vel depravari poteſt, evidenti argumento, diſtincta in ſyſtemate nervoſo loca eſſe, quæ pro ſenſuum internorum organis habenda ſint, a quorum conditione ſana integrum memoriæ, imaginationis atque judicii exercitium non minus, quam viſus, odoratus, vel auditus, ab organorum, externis his ſenſibus propriorum, integritate dependeat.

II. Quinque illos, quos numerant, ſenſus externos, tactum, guſtum, odoratum, auditum, & viſum, propriis vitiis obnoxios eſſe, quotidie obſervamus. Interdum enim tam acuti ſunt, ut conſuetas rerum, ipſis proprie objectarum, impreſſiones ſine dolore noxaque perferre nequeant; alias obtuſi ſunt, vel ita impediti, ut impreſſiones minus valide tranſmittant; nonnunquam adeo depravati ſunt, ut impreſſiones, rebus objectis diſſimiles, tranſmittant; ſæpe denique organa recipiendis, vel tranſmittendis, impreſſionibus plane non idonea ſunt.

Ad quatuor hæc capita omnia ſymptomata, ſingulis ſenſibus externis propria, referri poſſunt. Maxima appellationum varietate diſtinguuntur, quarum nonnullæ infra a nobis erunt commemorandæ, quum de

his morbis agemus, in quibus ſymptomata illa ſic exſtant, ut morbo nomen ex iis inditum fuerit.

III. Tertiam ſymptomatum particularium claſſem vitia appetituum conſtituunt, qui animalibus ad duos ſummi momenti fines, ſui conſervationem, & ſpeciei propagationem, ingeniti ſunt.

Appetitus hi pariter, ac quinque illi ſenſus externi, præter naturam augeri, morboſe imminui, depravari, vel penitus exſtingui poſſunt, atque ita quam plurima ſymptomata particularia, peculiaribus appellationibus diſtincta, exhibent, quorum nonnulla jam explicata ſunt, & reliqua ſuo loco explicabuntur.

IV. Quarta claſſis ſingularum ſecretionum vitia complectitur, quorum numerus ipſarum ſecretionum numero quadruplo minimum major eſt. Una enim quæque glandula ita vitiari poteſt, ut liquorem ſibi proprium nimis aut large, aut parce, ſeparet, ut liquorem alienum ſecernat, ut ad explendum officium ſuum plane inepta evadat. Pari ratione univerſæ cujuſdam claſſis humores præter naturam augeri, vel morboſe diminui, vel ſupprimi, vel ita depravari poſſunt, ut aqua in muci, limpha gelatinoſa in olei, muci, vel aquæ, oleumque in muci, aquæ, vel limphæ gelatinoſæ, cola tranſeat.

Humores ſecreti, quemadmodum ſupra demonſtravimus, partim, tamquam excrementa, e corpore ejiciuntur, partim per varias tuborum, ſive vaſorum, ſeries circumeunt ac diſtribuuntur, partim in peculiaribus receptaculis, variiſque ſyſtematis cellularis partibus, ad longius breviuſve temporis ſpatium reponuntur.

Humores, qui, tamquam excrementa, e corpore ejiciuntur, plerique omnes ad aquoſorum claſſem pertinent, ſiquidem urina & perſpirationis materia illuc referuntur.

Organorum, aquam hanc ſuperfluam percolantium, ea eſt natura, ut alterum alterius vicem ex-

pleat. Aquam enim, in parte aliqua parcius ſecretam, perpetuum eſt, alibi largius ſeparari. Hinc magna illa urinæ copia, quæ in paroxyſmis hyſtericis redditur, in quibus cutis pori, arctiſſime conſtricti, perſpirationis materiæ exitum præcludunt. Hinc balnea frigida ſemper urinæ, ſæpe alvinæ excretionis, modum augent. Hinc hiberno tempore, vel cœlo frigido, plus mingimus, quam perſpiramus: & contra æſtate, vel cœlo incaleſcente, plus perſpiramus, quam mingimus.

Atque hinc etiam apparet, cur terror, triſtitia, vel ſollicitudo, perſpirationem cohibeant, excretioneſque per alvum ac veſicam augeant, quum e contrario diarrhœa, vel inſolita urinæ profuſio, perſpiratione, quæ fluxum humorum aquoſorum ad peripheriam corporis divertit, aucta, imminuatur. Ex iiſdem quoque principiis nimium ſalivæ fluxum cohibere poſſumus, ſi eum a glandulis parotidibus ad cutem, vel ad renes, vel ad inteſtina, derivamus.

Sic immodici ſalivæ fluxus rationem reddere, atque inſignes illas utilitates intelligere poſſumus, quas præſtat, ubi cæteræ ſecretiones aquoſæ imminutæ, vel interruptæ ſunt, præſertim in variolis, quæ nonnunquam omnem propemodum corporis ſuperficiem ita obtegunt, ut perſpirationis materia hac tranſire nequeat. Ægroto hic ſaluti eſſe poteſt copioſus ptyeliſmus. Qui ſi non accedat, facies manuſque ab humoris aquoſi, in interſtitia illarum celluloſa impulſi, mole ingenti mirum in modum intumeſcunt. Ptyeliſmo ſuppreſſio, & tumoribus iſtis ſubſidentibus, citam ſequi mortem, Medici, in artis exercitio verſati, haud ignorant.

Interdum, univerſam humorum aquoſorum ſecretionem nimiam eſſe, apparet, hoc eſt, aqua ſanguinis a reliquis ipſius elementis nimis facile ſecedit, & vel per varia oſtia effluit, vel in cava majora, aut in ſyſtema cellulare, exſudat, ubi neceſſario accu-

mulatur, variaſque hydropis ſpecies excitat, ſi vaſorum limphaticorum vis abſorbens non nihil deficiat.

Humores mucoſi, qui præcipue deſtinati ſunt lubricandis ac defendendis membranis ſenſilibus, quæ a contentis rebus acribus, vel ab aëris, quem haurimus, contactu, lædi poſſent, ut veſiculæ pulmonales, univerſa ſuperficies interna canalis cibalis, veſicula fellea, urinæ itinera, &c. iſte igitur mucus interdum nimis ubertim ad ſingulas partes affluit, interdum univerſa illius ſecretio tam larga eſt, ut pulmones oppleat, tuſſimque & ſpiritus difficultatem pariat, ventriculum oneret, ciborumque appetentiam aboleat, bilem glutinoſam atque inertem reddat, ac ſatis abundanter etiam cum urina deſcendat, vel nonnunquam, cum perſpirationis materia mixtus, excrementa, per cutis meatus exeuntia, lentore imbuat. E diverſo muci hujus excretio interdum imminuitur, unde partium, quas humectare debebat, ſiccitas & rigor, tuſſim ſiccam, pertinacem alvi duritiam, dolorem in mingendo, &c. efficiens. Alias eadem illa ſecretio depravatur, organis, quæ naturaliter mucum ſeparare debebant, alium quemdam humorem percolantibus. Sic, exempli gratia, in coryza, ſive perfrictione vulgari, pori membranarum, nares internas inveſtientium, pro blando, quem ſuppeditare debebant, muco, nihil, niſi aquam tenuem, emittunt: unde narium exaſperationes atque exulcerationes, frequentia ſternutamenta, &, ſi membranæ circa laryngem eodem modo affectæ ſint, tuſſis moleſta; ſi veſiculæ pulmonales, quas a muco blando defendi oportebat, continuo aquæ tenuis curſu ſtimulentur, tuſſis multo etiam importunior ac gravior, cum dolore & difficultate ſpirandi; ſi muci ſecretio in canali cibali depravetur, ejuſque loco aqua effundatur, diriſſima inteſtinorum tormenta crebræque dejectiones naſcuntur, ac, niſi ſtimulus removeatur, plurima limpha gelatinoſa, vel pars

ſanguinis rubra, per muci cola tranſit, cruentaſque dejectiones exhibet.

Ubicumque vapores limphatici ſecernuntur, hoc eſt, in omnibus cavis majoribus, & in tota ſyſtematis cellularis univerſitate, ſæpe numero limphæ gelatinoſæ colluviones fiunt, quæ, vel ſecretionem iſtam ultra naturæ modum auctam, vel vaſa abſorbentia vi ſua exuta eſſe, demonſtrant. Aucta enim ſecretione, vim abſorbentem pariter augeri, neceſſe eſt: alias hydrops evitari non poteſt.

Sed hæc ſecretio etiam præter naturam imminui poteſt: unde partium, interpoſito hoc fluido ante disjunctarum, cohærentia. Eadem quoque interdum depravatur, ſic, ut vel ea in loca, in quibus nihil, niſi limpha gelatinoſa, eſſe debebat, oleum, aqua, aut mucus effundatur, vel pori eo uſque dilatentur, ut partem ſanguinis rubicundam exſudare patiantur.

Oleum quoque nonnunquam in aliorum fluidorum cola tranſit. Exempli gratia, in viis urinæ cum aqua, in renibus ſecreta, ſæpe miſcetur adeps, ab exercitationis, vel febris, vehementioris calore colliquefactus: idem interdum, cum perſpirationis materia mixtus, per ſudores unguinoſos emanat: alias, in cava inteſtinorum effuſus, per diarrhœam ejicitur. In quibuſdam corporibus inuſitata quædam olei ſecretio, ingenſque ad illud ſeparandum proclivitas apparet, tanta ſæpe adipis mole congeſta, ut verus inde naſcatur morbus, hoc triſtior, quod nulla fortaſſis in eo medicina prodeſt. Nonnunquam e contrario parum, vel nihil, olei ſecerni videtur, omniaque loca, in quibus ſecundum naturam oleum aſſervari debebat, alio quodam humore plena inveniuntur. Obſervamus hoc in morbo, quæ rhachitis appellatur, ubi oſſium cellulæ non medullam, ſed dumtaxat gelatinam aliquam, continent.

Conſpectui hactenus ſubjecimus ſymptomata, a

ſecretionum, generatim ſpectatarum, vitiis oriunda. Sed infinita ſunt ſymptomata particularia, a ſingularum glandularum vitiis naſcentia, quæ, prout organa affecta magis minuſve neceſſaria ſunt, graviores levioreſve noxas univerſo corpori inferunt. Nemini autem, qui partium, in quibus humores ſeparantur, vel colantur, fabricam uſumque cognovit, illa obſcura eſſe poſſunt. Lacrimæ, verbi gratia, ſub aquoſorum humorum claſſe ſunt, uſuſque earum in hoc conſiſtit, ut exteriorem oculorum ſuperficiem humidam efficiant, eos pellucidos conſervent, eorumque motus, qui in vigilantibus fere perpetui ſunt, liberos atque expeditos reddant, &, ne palpebræ per ſomnum cum oculi albo conglutinentur, prohibeant. Jam lacrimarum ſecretio præter naturam vel augeri, vel imminui, aut depravari, vel in totum ſupprimi, poteſt. Si præter naturam augetur, lacrimæ per genas decurrunt, atque hæc delacrimatio, ſi continua eſt, morbum conſtituit, quam epiphoram nominant. Qui morbus etiam a punctorum lacrimalium, vel ductus illius, qui a ſacco lacrimali in nares hiat, obſtructione naſcitur.

Si parcior eſt lacrimarum ſecretio, quam ut finibus modo dictis reſpondeat, oculi calent, ſiccеſcunt, ac dolent, eorumque exulcerationes, inflammationes & cicatrices, macularum, leviorem gravioremve cæcitatem inducentium, auctores, oriuntur. Si lacrimarum ſecretio deficit, vel ita depravatur, ut, aquæ tenuis loco, mucus craſſus lentuſque ex oculis effluat, palpebræ cum oculi albo cohæreſcunt, parteſque inflammantur, intumeſcunt, exulcerantur.

Placet aliam adhuc ſingularem muci ſecretionem exempli loco proponere. Novimus, urethram naturaliter muco eſſe oblitam, qui impediat, quominus urina membranam illam ſenſilem, qua hic canalis veſtitur, irritet. Jam ſi nimia muci iſtius copia propter pororum, ipſum ſuppeditantium, laxitatem

ſecernatur, continua mucoſi cujuſdam humoris excretio, doloris expers, conſequitur. At ſi mucus urethræ depravatur, ut ex humore blando atque glutinoſo in laticem acrem & tenuem degeneret, excretio illius non poteſt, quin dolorem moveat, quum membrana tenera, tegumento ſuo nunc orbata, ab urina præterlabente irritetur atque inflammetur.

Ita vero, quiſquis uſum fabricamque ſingulorum organorum, male affectorum, cognoverit, ſemper perſpicere poterit, quas noxas a ſecretionum, illis propriarum, vitiis proficiſci oporteat.

V. Quinta ſymptomatum particularium claſſis ea comprehendit vitia, quæ excretionem alvinam, mictum, ac perſpirationem afficiunt: quæ quidem excretiones vel imminui, vel ſupprimi, vel præter naturam augeri poſſunt.

Tempora, quibus fæces alvinæ expelluntur, in diverſis hominibus tam diverſa ſunt, ut intervalla naturalia & ſana per ſe definiri nequeant. Semper itaque ſymptomata concomitantia prius ſpectari oportet, quam duritiam, aut laxitatem alvi, morboſam eſſe, pronuntiemus. Niſi enim dolor, nauſea, aſthenia, anorexia, &c. accedant, nec is, qui triduo, vel quatriduo, ſemel tantum alvum dejicit, nec is, qui bis terve in die ventrem exonerat, pro ægrotante habendus eſt, quum fieri poſſit, ut alvus illa ſegnior, vel citatior, a naturali corporis habitu dependeat. Fæces igitur alvinæ crebrius excerni, vel per pluſculos dies ſubſiſtere poſſunt, ut nullus affectus morboſus inde generetur.

Pertinaces alvi obſtructiones nonnunquam a defectu irritabilitatis in fibris motricibus pleniorum inteſtinorum oriuntur: ſed frequentius defectui, vel inertiæ, bilis adſcribendæ ſunt. Fieri poteſt, ut hic humor nimium lentorem contrahat, aut juſto parcius in inteſtinum duodenum deſcendat, ſive ſecretione ipſius ſuppreſſa, ſive via a jecinore per duc-

tus proprios, coagulis mucoſis calculiſve obſeſſos, præcluſa, ſive ductu communi per ſpaſmum fibrarum muſcularium vel ductus ipſius, vel inteſtini duodeni, ita conſtricto, ut bilis e veſicula fellea in canalem inteſtinorum curſus impediatur.

Frequentiores copioſioreſque alvi dejectiones plerumque bili redundanti, vel acri, debentur, cujus ſtimulus non ſolum inteſtinorum tunicas ad crebriores contractiones ſollicitat, ſed una pariterque mucum aquamve uberius affluere cogit. Omnia alia acria, vel lædentia, ſimiles noxas pariunt, ſimileſque excretiones profuſas excitant: unde tandem debilitas, dolor, atque macies, conſequuntur.

Si urinæ ſecretio in renibus a vitio quodam, his organis proprio, impeditur, particulæque ſalinæ & oleoſæ, quas hac via ejici oportebat, in ſanguine remanent, ingens noxarum varietas exiſtit, calor immodicus, ſitis, nauſea, agrypnia, convulſio, vomitus, ac, niſi ægrotus cito relevetur, mors inevitabilis ſequitur. Urina, hoc modo retenta, interdum vi ſibi viam per cutis poros parat, ſudores fœtidos excitando, interdum per inteſtina effluit, interdum ex ventriculo vomitu rejicitur, interdum in glandulas parotidas & maxillares, vel in mammarum glandulas, delata, cum ſaliva, vel lacte, ſe commiſcet.

Si urina, in renibus ſecreta, atque ad veſicam delata, in hac ſubſiſtit, eædem noxæ oriuntur, quibus atrociſſimi dolores, per violentam partium ſumme ſenſilium diſtentionem moti, accedunt. Sed nonnunquam urinæ excretio præter naturam augetur, ac tanta ejus copia profluit, ut magna ſucci nutricii pars cum ipſa auferatur, totique corpori debilitas & macies inducatur. Alias ſphincter, veſicæ cervicem conſtringens, reſolvitur, ut lotium continenter fere deſtillet.

Cutis pori præter naturam laxari poſſunt, unde ſudores, quos colliquantes appellant, erumpunt. In-

terdum nimium conſtringuntur, ut perſpiratio impediatur, unde, præter alia incommoda, caput grave, pectus oppletum, tuſſis, vox rauca. Nonnunquam excretio per cutem depravatur, ut fœdi odoris, vel flavi, aut rubri, coloris ſudores profluant.

VI. Sextam ſymptomatum particularium, ſive topicorum, claſſem ea conſtituunt vitia, quæ ſingulorum motus organorum atque inſtrumentorum actionem turbant, vel impediunt.

Vocis organorum actionem turbat, quidquid glottidis aperturam libere contrahi, aut dilatari prohibet, adeoque, ne aëris, e pulmonibus exſpirati, torrens in cartilagines illas elaſticas, quarum motus vibrantes vocem modulantur, rite incurrat, efficit.

Vox ſimiliter magis minuſve imminuitur, ſi glottidis cartilagines, vi ſua elaſtica magis minuſve amiſſa, ita molleſcunt, ut vibrare nequeant, vel, ſi tam rigidæ evadunt, ut a vi fibrarum muſcularium vix ægreque vincantur, vel, ſi tanta muci copia obteguntur, ut ipſarum motus inde præpediantur, aut vibrandi facultas tollatur, eadem ratione, qua fidium chordæ, unguine illito, rite vibrare deſinunt.

Ex quibus facile apparet, vocem variis modis imminui, vel exſtingui poſſe, modo a muſculorum glottidis contractione ſpaſmodica, aut relaxatione paralytica, modo ab humoribus, ad has partes uberius affluentibus, & cartilagines vel laxantibus, vel pituita mucoque obtegentibus, modo a nimio rigore, qui in decrepitæ ætatis hominibus incidit, modo a partium, laryngi junctarum, nimia per inflammationem diſtentione, modo ab earumdem ſubſtantia per ulcerationes exeſa.

Vocem quoque neceſſario omnia ea afficiunt vitia, quæcumque pulmonum actionem impediunt, ac, quominus aër facile atque libere hauriatur, vel reddatur, obſtant.

Pulmonum actionem ſæpe turbant tuſſis, ſternutatio, riſus non voluntarius, ſingultus.

Tuſſis & ſternutationis in œconomia animali uſus tam obvii ſunt, ut explicatione non indigeant. At ſi alterutra actio ob peculiarem aliquam cauſam tam violenta frequenſque evadit, ut dolorem, ſpiritus difficultatem, agrypniam, vel aliud quoddam ex quindecim illis, quæ ſupra expoſita ſunt, ſymptomatibus generalibus creet, pro morboſa habenda eſt, variorumque morborum ſymptoma conſtituit.

Cauſæ, in veſiculis pulmonalibus, vel in ſuperiore aſperæ arteriæ parte, & circa laryngem, irritationem efficientes, quæ muſculos, reſpirationi inſervientes, in motum agat, ſic, ut aërem e pulmonibus per vegetas ſpiſſaſque contractiones expellant, atque ita tuſſim excitent, tam numeroſæ ſunt, ut recenſionem illarum eum in locum differri oporteat, quo de morbis, quorum ſymptoma characteriſticum tuſſis eſt, acturi ſumus.

Sed ſternutatio, quæ rariſſime tam violenta, tamque diuturna eſt, ut pro morbo reputari poſſit, moveri conſuevit, ſi qua res acris privatim narium membranis incidit, velut in coryza, ſive perfrictione vulgari, in qua membranæ illæ, blando ſuo atque emolliente muco orbatæ, humoris aquoſi acris profluvio ſtimulantur. Similem in modum, imminente variolarum, vel morbillorum, eruptione, narium membranæ ſæpius ab acri quadam materia irritantur, violentaque illam antecedunt ſternutamenta.

Sternutationem pariter concitant nervorum in partibus remotis affectus, per conſenſum, qui inter illos & muſculos, reſpirationi dicatos, obtinet. Quod quidem ſymptoma morbos hyſtericos comitatur, in quibus pariter haud raro riſum non voluntarium ac violentum, ab eadem ſympathica muſculorum illorum affectione oriundum, obſervamus.

Singultus in celeri ſubitoque diaphragmatis deſcen-

ſu conſiſtit, quo œſophagus deorſum trahitur, qui laryngem, quocum connexus eſt, pariter repente deorſum rapit, eodemque temporis momento glottidis apertura conſtringitur, unde aër, per rimam anguſtam in ſpatium inane propulſus, ſingularem quemdam ſonum elidit.

Hæ proximæ ſingultus cauſæ ſunt. Remotarum frequentiores ſunt nimia ventriculi repletio, vel materia quædam irritans, in eo contenta.

Quamquam hoc ſymptoma raro ita ingraveſcit, ut peculiarem quamdam attentionem requirat: aliquando tamen per integra nychthemera contumaciſſime perſeverat, ac tunc fere copioſis flatibus, in ventriculo atque inteſtinorum canali incluſis, vel viſcerum abdominis majorum obſtructionibus, tribuendum eſt.

Deglutitionis actio a tot minutorum muſculorum ſanitate dependet, ut variis modis vitiari poſſit. Muſculi iſti convelli, reſolvi, inflammari, exulcerari, parteſque, faucibus vicinæ, a cauſis tam numeroſis inferciri, atque in tumorem attolli poſſunt, ut earum conſideratio ab hoc loco aliena eſſe videatur.

Ventriculi actio ſæpe turbatur per vomitum, quem plerumque res acres, vel noxiæ, in ipſum receptæ, movent. Graves tamen diuturnique vomitus nonnunquam occurrunt, qui nervorum, a ventriculo diſtantium, affectibus, vel ſtimulis, ipſum cerebrum laceſſentibus, debentur. Maximum ad artem feliciter exercendam momentum in eo poſitum eſt, ut vomitus hoſce ſympathicos ab idiopathicis, qui a rebus noxiis, in ipſo ventriculo ſubſiſtentibus, excitantur, diſtinguere noverimus.

Cordis actio ſæpius turbatur per palpitationem, qui affectus interdum mere nervoſus eſt, corde, utpote muſculo, vel propter connexionem ſympathicam, vel propter irritationem, a rebus, in pericardio contentis, illique proxime admotis, oriundam,

convulſo-

convulſo. Alias cordis palpitatio ab impedimento, ſanguini, per ipſius cava tranſeunti, objecto, a polypis, vaſa ſanguifera majora oppilantibus, ab aneuryſmate arteriæ aortæ, naſcitur.

Pari ratione ſingularum ſyſtematis arterioſi partium actio impeditur ab aneuryſmate, quod in univerſum ab arteriarum tunicis, nimium dilatatis, efficitur.

Singulorum muſculorum, ad artus pertinentium, actiones turbatæ vel ad ſpaſmum referuntur, quo fibræ præter voluntatis nutum contrahuntur, vel ad paralyſin, qua eædem naturali virium gradu carent.

VII. Septima ſymptomatum particularium claſſis ea continet, quæ habitum corporis externum vitiant.

Nonnunquam univerſum habitum corporis externum aut tumor, aut macies, occupat.

Tumores, univerſum habitum corporis externum occupantes, vel a nimio adipe, quam polyſarciam vocant, vel a ſeri, ſive aquæ, in ſyſtemate cellulari colluvie, quam leucophlegmatiam & hydropem ἀνὰ σάρκα appellant, vel ab aëre elaſtico, eadem cava replente, quod emphyſema nominant, excitantur.

Vocabula, quibus macies ſignificatur, ſunt marcor, maraſmus, atrophia: quæ vitia ingenti morborum numero accedunt, tametſi corporis emaciatio interdum ad fontem ſuum vix referri poſſit, & tamquam ſymptoma primarium ſpectanda ſit.

Coloris ratio certa dari nequit, ſemperque ex aliis rebus concomitantibus de illo judicari oportet. Inſolitas enim formæ externæ mutationes, niſi affectus aliquis morboſus iis accedat, tantummodo pro totidem deformitatis ſpeciebus habere licet.

Summus pallor, verbi gratia, niſi impotentia, vel moleſtiæ ſenſus, eum comitetur, immerito pro morboſo habetur, quoniam peculiari huic corporis conſtitutioni naturalis eſſe poteſt. Sin autem quis ſimul & perpallidus, & languidus debiliſque eſt, neque ciborum deſiderio tangitur, tum demum pal-

lorem iſtum merito ſymptomatibus annumeramus, vaſaque, cuti ſubjecta, vel exiguo, vel vappido & aquoſo, ſanguine impleta eſſe, concludimus.

Cutis color ſimiliter flaveſcere, vel etiam obſcure virideſcere, tandemque maximam partem nigreſcere poteſt: id quod accidit, ubi bilis ex veſicula fellea in inteſtinum duodenum exitus aliquamdiu obſtructus eſt.

In corporibus, in quibus ſanguinis craſis vitiata eſt, iſque lentorem naturalem amiſit, particulæ rubræ, per poros elapſæ, eas arterias ſubeunt, quæ ſoli limphæ pellucidæ tranſitum concedere debebant, atque hinc cutis nonnunquam livore decoloratur, ſed frequentius ejuſdem coloris variæque magnitudinis maculis tantum aſpergitur. Proprium hoc eſt iis morbis, in quibus humores putrent, ſive cum febre ſint, ſive nulla peculiaris in circuitu fluidorum generali perturbatio appareat.

Magna præterea exanthematum, cutem obſidentium, varietas eſt, quorum nonnulla omni omnino febre vacant: alia autem febrilis commotio ſemper antecedit, ac perſæpe comitatur. Prioris generis ſunt variæ lepræ ſpecies, quas ſcriptores peculiaribus appellationibus diſtinguunt, ſcabies, plura luis venereæ ſymptomata, herpes, variæque aliæ puſtulæ & papulæ, quibus diſtincta auctores impoſuerunt nomina.

Exanthemata, quæ febris aliqua ſemper antecedit, ac plerumque comitatur, ſunt variolæ, morbilli, miliaria, & petechiæ, ſive purpura. Quibus accedunt eryſipelas, ac febris. ſcarlatina, quorum in priori ſingulæ corporis partes, frequentiſſime facies, inflammantur, mireque intumeſcunt: in poſteriore maculæ rubræ latiores per totum corpus diſperguntur. Aphthæ, quæ ſunt ulcuſcula parva albida, labiis orique interno inſidentia, & eſſera, quod exanthema, in calidis regionibus valde frequens, papulas,

ex urtica naſcentes, refert, pariter ad ſymptomata, cuti propria, referendæ ſunt.

Singulæ corporis partes a ſanguine, ſero, oleo, vel pure accumulato, intumeſcunt: quæ fluida vel in cyſtidibus continentur, aut arctiori ſpatio circumſcribuntur, tumore rotundo & prominente, vel latius per telæ celluloſæ interſtitia ſe diffundunt, tumore plano atque extento. Quoſdam horum tumorum immodicus calor, dolor, ac rubor comitantur: alii contra parum, aut nihil, dolent, & neque colorem cutis excedunt, neque calorem movent.

VIII. Sæpe numero tumores in octava ſymptomatum topicorum claſſe includuntur, ſi a ſitu nexuve partium mutato excitantur, verbi gratia, ſi quædam ex inteſtinis, omentum, aliaque viſcera, in abdominis cavo contenta, e ſedibus ſuis prolabuntur. Hi tumores generatim herniæ vocantur, variiſque nominibus diſtinguuntur.

Pari modo uterus in vaginam procidere poteſt, nec nunquam ita procidit, ut extrinſecus etiam conſpiciatur. Vaginæque membrana interna adeo interdum relaxatur ac dilatatur, ut erumpat. Rectum quoque inteſtinum aliquando prolabitur, vel ob laxatam eam meſenterii partem, quæ colon ſuſtinet, vel ob ſuam ipſius membranam internam dilatatam atque relaxatam. Veſica etiam inverti, & ad os urethræ protrudi poteſt.

Neque vero molles tantum partes a ſitu naturali recedere poſſunt, ſed oſſa quoque ſæpius loco moventur; unde, pro partis affectæ natura, majores minoreſve dolores, tumores, ac moleſtiæ, exiſtunt.

IX. Partium mollium contextus deſtrui poteſt, vel a ſubita quadam vi externa, vulnerante, lacerante, contundente, urente; unde variæ illæ vulnerum, contuſionum, aduſtionum, ſpecies, pro partium læſarum natura & neceſſitate, plus minuſve

moleſtiæ ac periculi afferentes : vel ab acrimonia quadam interna, quæ paulatim & per quoſdam quaſi gradus ſubſtantiam ſolidam corrodens atque diſſolvens, varia exulcerationum genera, nunc leviora, nunc graviora, efficit.

Similiter oſſa non raro variis modis per injurias externas colliduntur, franguntur, ac finduntur, vel ipſorum ſubſtantia a vi acris cujuſdam humoris, pedetentim ſerpentis, corroditur atque diſſolvitur, unde caries multiplex, nunc magis, nunc minus periculoſa, naſcitur.

Firmitas denique oſſium ſic mutari poteſt, ut mollia & cartilaginum inſtar flexibilia evadant, imo in ſubſtantiam, carni cruorive concreto ſimilem, degenerent. Eadem contra nonnunquam tam ſicca atque fragilia fieri obſervantur, ut quavis vel leviſſima occaſione frangantur.

Carneæ quoque partes, quod ad firmitatem attinet, mutationibus obnoxiæ ſunt, ſiquidem interdum magis minuſve indureſcunt, calloſæque evadunt, alias, quamvis perraro, ipſorum oſſium duritiam, ſubſtantiamque his ſimilem, nanciſcuntur. Frequentius autem partes molles diſſolvuntur, atque in fungum degenerant, vel in pus deliqueſcunt, variique generis abſceſſus efficiunt.

Atque ita ſymptomatum particularium, ſive topicorum, enumerationem abſolvimus. Sed quum affectus quidam morboſi vel alteri tantum ſexui, vel ſolis infantibus proprii ſint, horum etiam mentionem fieri oportet, ut plenum, omnibuſque numeris abſolutum, ſymptomatum, tum generalium, tum particularium, conſpectum habeamus.

CAPUT XXII.

Symptomata ſexualia, & infantilia.

SYMPTOMATA, quæ tamquam ſexualia conſideranda ſunt, ab organorum, mares ac feminas diſtinguentium, fabrica diverſa, atque a certis quibuſdam rebus, utrique ſexui propriis, dependent.

SYMPTOMATA, MARIBUS PROPRIA.

Hæc in vitiis,

1) Ad ſeminis ſecretionem, & emiſſionem,
2) Ad teſtes & ſcrotum,
3) Ad penem,

pertinentibus, conſiſtunt.

Si ſemen a ſanguine non ſecernitur, veneris appetentia raro ſentitur. Si liquor hic juſto diutius retinetur, atque accumulatur, teſtium, chordarumve ſpermaticarum, tumor, vel vitium, quam ſatyriaſin nominant, conſequi poteſt. Sin autem illius excretio nimis vel frequens, vel profuſa eſt, vaſorum ſpermaticorum debilitas, & gonorrhœa ſimplex, ſive continens muci cujuſdam albi ex urethra deſtillatio ſuccedit, acceduntque complura ſymptomata generaliora, velut lumborum dolor, aſthenia, anorexia, macies, nec raro amentia.

Teſtes inflammationi atque ſuppurationi obnoxii ſunt, unde hernia, quam humoralem vocant, naſcitur. Interdum in tumorem durum, omniſque doloris expertem, quæ ſarcocele nominatur, degene-

rant. Nonnunquam vaſa, ad ipſos ducentia, varicoſa evadunt, unde cirſocele oritur.

Scrotum ſæpe ab aqua diſtenditur, quod vitium hydrocelen appellant, vel omentum atque inteſtina, per annulos muſculorum abdominalium erumpentia, eo deſcendunt, atque ita herniam ſcrotalem, ſive oſcheocelen, conſtituunt.

Penis haud raro afficitur ſymptomate illo venereo, quam chordam appellant, quæ in frænuli erectione, ſimulque contractione, glandem incurvante, conſiſtit, unde acerrimi dolores moveri conſueverunt. Idemque pariter obnoxius eſt aquæ inter præputii plicas collectioni, quod œdema cryſtallinum nominatur. Omnia hæc, una cum dyſuria, glandiſque ac præputii ulcuſculis ſerpentibus & dolentibus, quæ Galli *chancres* appellant, frequenter gonorrhœæ virulentæ accedunt, quæ puris atque ichoris ex urethra ſtillicidium eſt, contagionem veneream, ut lippæ & tonſores norunt, conſequens.

SYMPTOMATA, FEMINIS PROPRIA.

Hæc, partim in vitiis,

1) Ad menſium fluxum,
2) Ad graviditatem,
3) Ad puerperium,

Pertinentibus; partim in

1) Ovariorum,
2) Uteri,
3) Vaginæ,
4) Oris externi,

affectibus topicis, conſiſtunt.

Menſium fluxui imminuto, vel in totum ſuppreſ-

ſo, languor, cibi faſtidium, abdominis tumor, hypogaſtrii dolores, totius humorum univerſitatis corruptio, ſanguinis e variis locis profluvia, pluraque alia incommoda ſuccedunt, quorum nonnulla tam anomala, & in aliis atque aliis adeo diverſa ſunt, ut in ordinem ſyſtematicum redigi vix patiantur.

Nimius contra menſium fluxus debilitatem, dorſi dolorem, anorexiam, maciem, pallorem, flatus, ſenſum frigoris, ac varia ſymptomata anomala, quæ hyſterica vulgo nominantur, facit.

Si menſium fluxus depravatur, &, ſanguinis floridi loco, latex aquoſus tenuis, vappidus, excernitur, aut, ſi humores, feroſi, mucoſi, vel acres, continenter profluunt, ſymptomata, iis, quæ nimio menſium fluxui ſuccedunt, ſimilia, fere conſequuntur. Variique hi fluores interdum a ſola vaſorum laxitate, nonnunquam ab humoribus vitioſis, ſolida continentia exulcerantibus atque corrodentibus, proficiſcuntur.

Sterilitas vulgaris vitiorum, ad menſes abundantes, ſubſidentes, vel corruptos, pertinentium, effectus eſt.

Graviditatem, ſi non ſemper, at primis certe tribus quatuorve menſibus, varia ſymptomata comitantur, maximam partem iis, quæ menſium obſtructioni ſuperveniunt, ſimilia. Qualia ſunt nauſea, vomitus, præcordiorum oppreſſio, anorexia.

Abortus cauſæ variæ ſunt. Sed, ut theoriam illius intelligamus, conſiderandum nobis eſt, placentam & uterum, quum extenduntur, atque in majorem molem ac capacitatem excreſcunt, ſibi mutuo reſpondere. Uterus dilatatur, humoreſque ad ipſum deferuntur, vi cordis matris: placenta creſcit, vaſaque ejus diſtenduntur, vi cordis fetus. Ex quo juſti inter duas has vires æquilibrii neceſſitas patet. Quod ſi enim uterus citius dilatetur, quam placenta creſcat, uterus a placenta ſeparatur: & contra, ſi placenta citius creſcat, quam uterus dilatetur, pla-

centa ab utero diſcedit. Unde perſpicitur, quî fiat, ut matris plethora, quæ, uteri vaſa nimis replendo, ipſum citius dilatat, quam placenta creſcit, frequentiſſima abortus cauſa ſit, quantumque ad hunc præcavendum ſanguis miſſus valeat. Indidemque ratio reddi poteſt, cur terror repentinus, vel mæror continuus, qui, vaſis in peripheria corporis conſtrictis, humores ad centrum pellunt, toties abortum faciant. Atque ita intelligimus, cur fetus morti, ceſſantique placentæ incremento, ſeparationem iſtam tam cito ſuccedere oporteat.

Injuriæ corporis externæ, velut ictus, lapſus, vel colliſiones, ſolo ſuccuſſu, uteri & placentæ commercium dirimere, atque ita conceptum elidere, vel partum præmaturum provocare, poſſunt.

Parturientium ſymptomata vel naturalia ſunt & utilia, vel morboſa & noxia.

Eorum, qui obſtetricum munere funguntur, permagni intereſt ſcire, ſemperque in memoria habere, diaphragmatis ac muſculorum abdominalium actionem utero exonerando non ſufficere, ſed rerum, in ipſo contentarum, expulſionem a vi contractionis fibrarum muſcularium, fabricæ ejus intextarum, dependere. Etenim hæc notitia regulæ loco eſt, ad quam enchireſes, tum in fetus, tum in placentæ, extractione dirigi debent.

Partus dolores, qui veri appellantur, a crebrioribus fibrarum illarum contractionibus oriuntur, virique, uſu & exercitatione præditi, ſatis norunt, quomodo a ſpuriis diſtinguendi ſint, qui nihil aliud, niſi affectiones ſpaſmodicæ muſculorum abdominalium, ſunt. Nixus hi ſpurii fetum quidem detrudere, ſed nunquam illi expellendo ſufficere, obſervantur.

Inter parturiendum crampi, in muſculis artuum inferiorum incidentes, haud raro moleſti ſunt. Convulſiones quoque, quamvis minus ſæpe, feminas,

e partus dolore laborantes, invadunt, ſummumque ac præſentiſſimum vitæ minantur periculum.

Placenta, ante fetum expulſum, ab utero vel ex toto, vel ex parte, ſeparata, largius parciuſve ſanguinis profluvium excitat: unde animi defectio, convulſiones, ac, niſi ſubitum afferatur auxilium, mors. Summæ igitur neceſſitatis eſt, ut hi, qui obſtetricum artem exercent, memores ſint, uteri contractionem id eſſe, quod fetum expellat. Neglecto enim hoc momento, femina parturiens in præſentiſſimum vitæ periculum adduci poteſt, quemadmodum ſuo loco demonſtrabimus.

Sanguinis ex utero profluvium etiam, fetu jam edito, exiſtere poteſt, ſi placenta, uteri contractione non exſpectata, per vim revellitur, aut ſi fibræ uteri adeo debilitatæ ſunt, ut minus, quam par eſt, contrahere ſe poſſint.

Dolores a partu, quos vocant, fetus excluſioni frequentiſſime ſuccedunt. Oriuntur interdum a ſaburra acri, in canali cibali incluſa, quæ fere dolores ſpurios ante partum movet: plerumque autem ſanguinis grumis, vel membranarum, aut forte placentæ, fruſtis, in utero relictis, tribuendi ſunt.

Tertio a partu die, nonnunquam citius, raro ſerius, mammæ puerperarum indureſcunt dolentque, ac febris aliqua, modo levior, modo gravior, movetur, quæ ad eum finem continuatur, quoad lac in canales ſuos influat: quo facto, febris ſudatione copioſa ſolvitur. Sed interdum febris illa lactea admodum vehemens eſt, & diutius manet, in ejuſque decurſu exanthemata milaria apparent.

Exanthemata hæc miliaria etiam ſine febre in puerperis obſervantur, nec magnum ab iis tunc metuendum eſt periculum. Ea vero, quæ cum febre ſunt, nunquam leviter terrere nos debent.

Lac, niſi ſecretio ipſius ſuctu infantis promoveatur, ſenſim & per gradus exareſcit, ita quidem, ut

ſub finem tertiæ a partu hebdomadis in totum fere evanuerit. Nonnunquam autem in mammis ſtagnat, harumque duritiam, tumorem, inflammationem, abſceſſus, efficit.

Illa tamquam ſymptomata generalia conſiderari poſſunt: hæc, quæ topica ſunt,

1) Ad ovaria,
2) Ad uterum,
3) Ad vaginam,
4) Ad os externum,

referuntur.

I. In ovariis interdum aqua colligitur, unde ipſorum hydrops; alias hæc corpora ſcirrho dilatantur.

II. Uterus nonnunquam ab aqua, in cavum ipſius congeſta, in tantam molem excreſcit, ut graviditatem mentiatur. Flatus etiam in illo incluſos fuiſſe conſtat. Solida, carnes, adeps, imo oſſa, in eodem reperta ſunt, unde in miram amplitudinem extumuit. In primis autem uterus ſcirrho cancroque obnoxius eſt, quibus vitiis laborans, interdum ſic dilatatur, ut cervicem veſicæ atque inteſtinum rectum comprimat: unde lotii fæcumque alvinarum retentio. Opportunus idem eſt prolapſioni, deorſum in vaginam cadit, nec nunquam extra os externum appareret. Neque uteri, per violentam placentæ extractionem inverſi, exempla deſunt.

III. & IV. Vagina quoque prolapſioni obnoxia eſt, quum interior ejus membrana ita relaxatur, ut deorſum cadat, atque eodem modo, quo inteſtinum rectum in ani procidentia, protrudatur. Polypi, vel carnes fungoſæ, interdum in ea excreſcunt. Muci, aquæ, puris, ex eadem profluvia contingunt, quæ ſæpe a laxitate vaſorum oriuntur, atque hæc loca exulcerant, vel ex uteri cavo deſcendunt. Iter ad

uterum nonnunquam præcluſum eſt, vel a morboſa hymenis craſſitudine atque extentione, vel a laterum vaginæ, aut labiorum pudendi, coalitu. Quæ obſtructio ſi in iis incidat, quibus menſes per ætatem fluere debent, præter abdominis dolorem tumoremque, omnia illa ſymptomata, quæ naturalis hujus excretionis ſuppreſſio efficit, accedunt.

Hæc ſymptomatum, feminis propriorum, præcipua ſunt. Quæ ſequuntur, ad infantes proprie ſpectant.

SYMPTOMATA, INFANTIBUS PROPRIA.

Cutis infantum, altero tertiove die, quam in lucem editi ſunt, frequentiſſime colore obſcure flavo tingitur, a bile, ut ſtatuunt, in ſanguinem refluente, cum eoque commixta. Quem humorem, a pituita glutinoſa, oſtium ductus communis oppilante, tranſitu in inteſtinum duodenum prohiberi, veri ſimile eſt. Fortaſſe vero aliquid ex meconio, ſive infantis fæcibus, reſorptum, atque in ſanguinem delatum, cutem colore hoc flavo inficit, qui tamen fere unius, vel duarum hebdomadum ſpatio, ſic evaneſcit, ut nihil noxæ intuliſſe videatur. Proprie quoque infantum recens natorum cutem occupant exanthemata rubra, puſtuloſa, (purpuram infantum nominant) quæ plerumque primis quatuor, vel quinque hebdomadibus, plus, minus, permanent.

Interdum accidit, ut meatus naturales præcluſi ſint, maximeque in pueris, ubi oræ præputii tam arcte inter ſe conglutinari poſſunt, ut id ſine mora amputari oporteat.

Tormina, fæceſque alvi virides, vulgaria maxime infantum ſymptoma ſunt. Quorſum aphthæ quoque pertinent, in quibus ingens puſtularum albidarum multitudo linguæ orique interno omni ex parte inſidet, quæ deorſum etiam per totam canalis cibalis

univerſitatem ad anum uſque ſe diffundere videntur, circa quem, parvorum ulcuſculorum ſpecie, apparent, quæ nonnunquam in gangrænam abeunt. Convulſiones ſæpe numero a ſaburra acri, in inteſtinis infantum accumulata, excitantur, plurimoſque in tenella hac ætate de medio tollunt.

Dentes plerumque circa ſextum a partu menſem oriri incipiunt, infantibuſque, donec ſecundum inter & tertium ætatis annum conſtituti fuerint, varias moleſtias, dolorem, calorem, agrypniam, tormina, tuſſim, convulſiones, creant.

Intra hoc temporis ſpatium infantes rhachitidi patent, oſſa ſoliditatem amittunt, & circa articulos ſpongioſa evadunt, ubi variæ magnitudinis tubera exiſtunt, præſertim circa brachiorum cum manibus, coſtarumque cum ſterno, commiſſuras. Perfrequens hic morbus eſt, præcipue in urbibus, incolarum multitudine abundantibus.

Hos articulorum tumores fere abdominis tumor atque duritia comitatur, cum caloribus, per intervalla accedentibus, aſthenia, ac macie.

Varii generis exanthemata in cute infantum erumpunt, puſque ex locis ſecundum aures, atque interdum ex aure interna, profluit. Dentitionis periculis defuncti infantes, a vermibus infeſtari incipiunt, qui ſæpe febres, vel varios affectus ſpaſmodicos, efficiunt.

Præmiſſæ ſymptomatum enumerationi tabulam hic ſubjiciemus, quæ aptum univerſorum conſpectum exhibeat, & anacephalæoſeos vice fungatur.

TABULA SYMPTOMATUM GENERALIS.

Symptoma eſt affectus morboſus ſimplex, ſive, ut aliis verbis idem dicamus, ſymptoma eſt ſingularis aliqua ſenſatio moleſta, impotentia, vel vitium topicum.

Symptomatum alia generalia ſunt, alia particularia, ſive topica, alia ſexualia, alia infantilia.

SYMPTOMATA GENERALIA

ſunt:

1) Senſus caloris nimii.
2) Senſus frigoris nimii.
3) Nauſea.
4) Sitis nimia, ſive *polydipſia.*
5) Dolor.
6) Pruritus.
7) Agrypnia.
8) Somnolentia.
9) Præcordiorum conſtrictio, vel oppreſſio, ſive *anxietas.*
10) Difficultas ſpirandi.
11) Debilitas.
12) Spaſmus.
13) Inſenſibilitas, ſive *anæſtheſia.*
14) Nimia ſenſibilitas, ſive *hyperæſtheſia.*
15) Delirium.

SYMPTOMATA PARTICULARIA, SIVE TOPICA,

conſiſtunt:

I. In affectibus morboſis, ſingula organa ſenſuum internorum occupantibus, unde vitia facultatum animi,

1) Memoriæ,
2) Imaginationis,
3) Judicii.

II. In affectibus morboſis, ſingula organa ſenſuum externorum turbantibus, unde vitia,

1) Viſus,
2) Auditus,

3) Guſtus,
4) Olfactus,
5) Tactus.

III. In affectibus morboſis ſingulorum organorum, a quibus appetitus dependent, unde vitia,

1) Deſiderii alimentorum,
2) Deſiderii rerum venerearum.

IV. In affectibus morboſis ſingularum glandularum, ſive organorum, ſecretioni inſervientium, unde vitia ſecretionis humorum,

1) Aquoſorum,
2) Gelatinoſorum,
3) Mucoſorum,
4) Oleoſorum.

V. In affectibus morboſis ſingulorum organorum excernentium, unde vitia excretionis,

1) Fæcum alvinarum,
2) Urinæ,
3) Materiæ perſpirabilis.

VI. In affectibus morboſis ſingulorum organorum, ad motum pertinentium, unde vitia,

1) Vocis,
2) Manducationis,
3) Deglutitionis,
4) Actionis ventriculi,
5) Actionis pulmonum,
6) Actionis cordis,
7) Actionis artuum.

VII. In affectibus morboſis habitus externi, unde omnis illa vitiorum, in externa corporis ſuperficie incidentium, varietas, qualia ſunt,

1) Tumores,
2) Macies,
3) Decolorationes,
4) Exanthemata,
5) Exulcerationes.

VIII. In affectibus morboſis partium organicarum, quæ ex ſitu nexuque naturali elabi, excidere, vel expelli poſſunt, unde,

1) Herniæ,
2) Prolapſiones & procidentiæ,
3) Luxationes.

IX. In ſolutionibus continuitatis, ſive mollium, ſive durarum partium, vel ab injuria externa, vel a cauſis internis, unde,

1) Vulnera,
2) Contuſiones,
3) Aduſtiones,
4) Ulcera,
5) Fracturæ,
6) Caries, &c.

SYMPTOMATA SEXUALIA,

I. Maribus propria,

Conſiſtunt in vitiis,

1) Vaſorum ſpermaticorum,
2) Teſtium & ſcroti,
3) Penis.

II. Feminis propria,

Conſiſtunt in vitiis,

1) Ovariorum,
2) Uteri,
3) Vaginæ,
4) Oris externi.

Quibus accedunt varia ſymptomata,

1) Ad menſium fluxum,
2) Ad graviditatem,
3) Ad puerperium,
4) Ad lactationem,

pertinentia.

SYMPTOMATA INFANTILIA

pauca tantum ſunt, exhibentque affectus morboſos, non, niſi in infantibus recens natis, vel dentitione nondum defunctis, obvios, quales ſunt purpura infantum, linguæ cum frænulo coalitus, meatus naturales clauſi, &c.

Symptomata topica æque, ac ſexualia, & ea, quæ in ſolam infantiam incurrunt, pleraque omnia peculiaribus appellationibus diſtinguuntur, atque hæc nomina, ſicut infra videbimus, ſignificandis morbis topicis, ſexualibus, & infantilibus, adhibentur, in quibus ſymptomata iſta præ cæteris eminent.

INTRODUCTIONIS METHODICÆ IN THEORIAM MEDICINÆ

LIBER III.

Methodus ſymptomata & morbos dividendi atque diſponendi.

CAPUT I.

Symptomatum diviſio in ordinaria, adventicia, & extraordinaria.

POSTQUAM ſymptomata hactenus per ſe, ſine nexu cum aliis, contemplati ſumus, proximum eſt, ut eadem conjunctim, varioſque illorum concurſus, qui morbos conſtituunt, conſideremus. Quæ medicinæ pars Noſologia nominatur.

Quum cauſæ proximæ quindecim illorum ſymptomatum generalium ad motus ſyſtematis nervoſi, vel vaſcularis, intentos, remiſſos, anomalos, aut intermiſſos, reduci poſſint, neceſſarium eſt, ut nonnullæ horum ſymptomatum inter ſe conjungantur & confluant, atque ita conſociatis viribus corpus humanum affligant.

Sic, exempli gratia, calor immodicus, ſitis nimia, atque agrypnia, ab eodem fonte, hoc eſt, ab intento ſyſtematis vaſcularis motu, oriri poſſunt. Quare etiam horum ſymptomatum concurſus ſæpiſſime ſe nobis offert.

Calor immodicus, ac reliqua duo ſymptomata, niſi

cito tranſeant, moleſtia ingraveſcit, pluraque ſe adjungunt ſymptomata, præſertim nauſea, aſthenia, ſpirandi difficultas, dolor, delirium: quæ ſi omnia permanent, ita, ut a continuato caloris incremento, & violenta fluidorum agitatione, ſecretiones turbentur atque pervertantur, ſana ſanguinis craſis deſtruatur, particulæque craſſiores in cava, tenuiſſimarum tantum tranſitui accommodata, urgeantur, & arteriarum quoque pori fluida contenta exſudare patiantur, quam plurima alia accedunt ſymptomata, velut ſpaſmi, perpetua ad ſomnum propenſio, anæſtheſia, cutis exanthemata, &c.

Memoratus hic concurſus ea ſymptomata complectitur, quæ ſæpe in febribus occurrunt, in eoque & ordinaria continentur, quæ ad morbi eſſentiam pertinent, & adventicia, quæ, ſi cauſæ, quæ febrem primum moverunt, prævalere pergunt, neceſſario conſequuntur, quoniam omnia a ſimilibus motuum animalium mutationibus proficiſcuntur.

Sed, præter ſymptomatum ſupra dictorum turbam, quæ ad eumdem omnia fontem revocare licet, nova quædam interdum atque extraordinaria occurrunt ſymptomata, quorum ratio inde reddi nequit, ut vomitus, vel alvi profluvium, quæ ſic oriri poſſunt, ut a proximis febris cauſis non dependeant. Ex quibus neceſſitas patet ſymptomata in ordinaria, adventicia, & extraordinaria, dividendi.

Symptomata ordinaria ea ſunt, quæ ad eſſentiam morbi pertinent, ejuſque notas characteriſticas exhibent, quibus a quovis alio diſtingui poſſit.

Symptomata adventicia ea ſunt, quæ, ſi eædem cauſæ eadem vi agere pergant, conſtanter & perpetuo ſuperveniunt, moleſtiamque ac periculum neceſſario augent. Adventicia hæc ſymptomata prævidere licet, ſi ſymptomatum generalium theoriam, & mutationes illas motuum animalium, ex quibus oriuntur, in memoriam tibi revoces.

Extraordinaria autem ſymptomata, quæ, cum ſymptomatibus eſſentialibus atque characteriſticis minus neceſſario connexa, adeſſe, vel abeſſe poſſunt, prævideri poſſe, fruſtra ſperaveris.

Hæc ſymptomatum diviſio ac diſpoſitio non tantum ad morbos deſcribendos neceſſaria eſt, ſed etiam ad veram medendi methodum ſtabiliendam conducit. Exempli gratia, ægrotus, febre laborans, præter alia ſymptomata, ad eſſentiam hujus morbi pertinentia, præcipue agrypnia vexatur, anxieque ab hac moleſtia liberari cupit. Jam vero hoc ſymptoma, utpote ex eodem, quo omnia reliqua, fonte manans, niſi hæc quoque conquieſcant, removeri non poteſt. Fruſtra igitur ægroto opium exhiberes ad ſomnum conciliandum, quum potius opera tibi danda ſit, ut nimios motus compeſcas, & ſtricturam ſpaſmodicam tollas, unde cætera ſymptomata æque, atque agrypnia, proficiſcuntur. Si vero contingat, ut ægrotus vomitu corripiatur, quod extraordinarium ſymptoma eſt, id agere tibi licet, ut ipſum ab hac moleſtia liberes, ſepoſitis cæteris ſymptomatibus, fontibuſque eorum generalibus.

Videmus itaque, ſymptomata ordinaria & adventicia tamquam plura corpora, in eadem tabula inter ſe conjuncta, ſpectanda eſſe: extraordinaria autem ſæpius ſeorſim, cauſarumque morbi generalium ratione ſemota, conſiderari poſſe.

CAPUT II.

Morbi, ſecundum methodum ſyſtematicam, in claſſes, ordines, genera, & ſpecies, digeſti.

MORBI, ſive ſymptomatum, inter ſe connexorum, concurſus, a ſcriptoribus medicis jam obſervati

atque deſcripti, tam numeroſi ſunt, ut niſi hos, qui potiſſimam partem inter ſe congruunt, ac ſimilem fere medendi rationem poſtulant, eodem revoces, neque deſcriptiones illorum memoria tenere, neque, quo pacto curari debeant, recordari poſſis.

Varia a variis adhuc propoſita fuerunt ſchemata: ſed, noſtra quidem ſententia, nullum ex his eſt, quod plus utilitatis promittat, majoremque approbationem mereatur, quam id, quod SYDENHAMUS commendavit.

Secundum hoc morbi eadem ratione, qua corpora naturalia, in claſſes, ordines, genera, & ſpecies, digeruntur.

Claſſem certa quædam ſymptomata, omnibus morbis, ad ipſam pertinentibus, communia, diſtinguunt. Ordo eaſdem, quas claſſis, ſub qua eſt, notas habet, cum aliis quibuſdam, ſibi propriis. Genus omnes, quas claſſis ordoque, notas habet, ac præterea nonnullas, quæ ipſum diſtinguunt. Species omnes & claſſis, & ordinis, & generis notas habet, quibus inſuper accedunt ſymptomata, ipſius characterem conſtituentia.

Quatuor hujus generis ſchemata jam proſtant, auctoribus præter cæteros claris, SAUVAGESIO, LINNÆO, VOGELIO, CULLENIO. Neque ex his ullum eſt, quin a reliquis aliquantum differat.

SAUVAGESIUS, LINNÆUS, VOGELIUS, communi hoc laborant vitio, quod genera morborum plus juſto multiplicarunt, atque ad morbos non ſolum plures affectus morboſos ſimplices, ſive mera aliorum morborum ſymptomata, ſed permulta quoque alia retulerunt, quibus nulla neque moleſtia, neque impotentia, accedit, quæque, ut multa largiamur, tantum pro deformitatibus haberi poſſunt.

Culpandi hoc nomine præcipue ſunt VOGELIUS & SAUVAGESIUS, quorum poſterior immoderatione diſtinctionum luxuriat, fereque id, quod varietas nomi-

nari debebat, tamquam ſpeciem conſiderat. Nihilo tamen minus *Noſologia* ipſius *methodica* ſtupendi laboris atque infinitæ utilitatis opus eſt, digniſſimumque, quod ab omnibus, artem noſtram exercentibus, nocturna ac diurna manu verſetur, quoniam lexici vicem præſtare poteſt in morborum ſingularium deſcriptionibus, quas in pleriſque auctoribus, qui morborum hiſtorias exhibere ſe profitentur, fruſtra quæras.

Quatuor illa, ſupra memorata, ſchemata, quæ CULLENIUS uno volumine, quod *Synopſis Noſologiæ methodicæ* inſcriptum eſt, juncta edidit, eorum, quæ dicturi ſumus, fundamentum conſtituunt. Atque in his operam dedimus, ut, quos quatuor viri illi admiſerunt, errores evitaremus: quod utrum recte, an ſecus, nobis ſucceſſerit, eruditi candidique Lectoris judicio permittimus.

Omnes morbi, quibus corpus humanum obnoxium eſt, in quatuor claſſes a nobis digeruntur, hoc eſt:

1) in morbos univerſales,
2) in morbos topicos,
3) in morbos ſexuales,
4) in morbos infantiles.

Unaquæque claſſis in ordines, ordines in genera, genera in ſpecies, &, ſicubi diligentia minutior verum uſum pollicetur, ſpecies in varietates, pro conditionibus, ſtatum faciemque morbi mutantibus, dividuntur.

Per morbos univerſales eos intelligimus, qui non tantum cuique ætati, & utrique ſexui, communes ſunt, ſed in quibus etiam nonnulla ex quindecim illis ſymptomatibus generalibus ita conjunguntur, ut ſuper reliqua ſymptomata particularia, ſive topica, emineant, præcipuamque moleſtiæ partem conſtituant. Sic febris & epilepſia morbi univerſales ſunt, quoniam non modo in quacumque ætate atque utrovis ſexu in-

cidunt, verum etiam a ſymptomatibus generalibus efficiuntur.

Morborum particularium, ſive topicorum, nomine affectus illos minus periculoſos, minuſque moleſtos, ſignificamus, quorum ſymptoma potiſſimum, ſive pars morbi maxime conſpicua, in ſingulorum organorum, vel ſingularum partium corporis, vitio conſiſtit, tametſi ſemper aliqua ex quindecim illis ſymptomatibus generalibus, certis gradibus atque proportionibus, accedant. Tuſſis, exempli cauſa, vel alvi profluvium, tantummodo ut morbus particularis, ſive topicus, conſiderari debet, cum hac exceptione, ne tanta doloris, debilitatis, nauſeæ, &c. vis accedat, ut actionis, vel excretionis, vitium particulare obſcuretur.

Ut paucis rem complectamur, morbi, in quibus ſymptomata generalia, de quibus *Lib. II, a Cap. IV, uſque ad XVIII*, egimus, præ cæteris conſpicua ſunt, ad morbos univerſales pertinent: hi vero, in quibus aliquod ex ſymptomatibus topicis, quæ *Cap. XXI*, recenſita ſunt, eminet, ad morbos topicos referendi ſunt.

Tertia & quarta claſſe ii morbi continentur, qui primæ ac ſecundæ adſcribi poſſent, niſi plures obſtarent conditiones, quæ ipſis propriæ ſunt, maximaque ex parte propriam quoque curationem deſiderant. Utilius igitur morbi ſexuales atque infantiles ad privas claſſes referuntur, quam, ſicut a SAUVAGESIO, LINNÆO, VOGELIO, & CULLENIO, factum eſt, cum morbis univerſalibus ac topicis commiſcentur.

Primam morborum claſſem facile in ordines ſuos diduxeris, ſi quindecim illorum ſymptomatum generalium cauſas proximas in memoriam tibi revocaveris.

Quædam ex his a nimio atque anomalo motu ſyſtematis vaſcularis, cum ſyſtematis nervoſi ataxia vere conjuncto, dependent: quorum præcipua ſunt calor immodicus, ſitis, nauſea, debilitas, agrypnia. Symptomata hæc fere una pariterque corpus afficiunt, vel ſibi in vicem ſuccedunt: quod ſi faciunt, febres conſ-

tituunt, quibus, utpote omnium morborum frequentiſſimis, primum ordinem aſſignabimus.

In febribus nimius ſyſtematis vaſcularis motus manifeſtus eſt, neque nervoſi ſyſtematis ataxia, nimio illi motui juncta, non evidenter apparet. Sed quum morbi ſint, in quibus motus ſyſtmatis vaſcularis maximopere turbentur, nec ullam tamen notabilem ſyſtematis nervoſi ataxiam, in principio ſaltem, animadvertere liceat, neceſſarium eſt, ut hos a febribus diſtinguamus, & tamquam alterum ordinem, ſub titulo inflammationum, conſideremus.

Cum febribus atque inflammationibus propinqua affinitate conjuncta ſunt profluvia, ſive fluidorum animalium excretiones morboſæ, ſiquidem ſemper ſymptomata quædam, febribus atque inflammationibus propria, morbos iſtos antecedunt, vel comitantur. Quam ob rem inflammationibus profluvia, tamquam tertium morborum univerſalium ordinem, proxime ſubjicimus.

In tribus illis morborum ordinibus ſyſtematis vaſcularis perturbationem moleſtiæ cauſam præcipuam eſſe, apparet. Sed plures morbi ſunt, in quibus humorum craſſiorum circuitus parum, aut nihil omnino, turbatus conſpiciatur. Hi igitur ad ſyſtema nervoſum referendi ſunt, utpote conſiſtentes in ſymptomatibus, quæ a motibus in hoc ſolidorum vivorum genere intentis, remiſſis, turbatis, vel intermiſſis, oriri creduntur.

In nonnullis horum præcipuum & characteriſticum ſymptoma dolor eſt. Itaque hi morbi dolores vocantur, quartumque morborum univerſalium ordinem conſtituunt.

In aliis horum morborum, ad ſyſtema nervoſum relatorum, præcipuum ſymptoma ſpaſmus eſt. Ex quo morbi ſpaſmodici, ſive ſpaſmi, nominantur, quintumque morborum univerſalium ordinem conſtituunt.

Spaſmis ac doloribus ii morbi contrarii ſunt, quos ſomnolentia, debilitas, atque anæſtheſia diſtinguit, quique a ſentiendi & movendi facultate imminuta, vel ſublata, dependent. Unde ſextus morborum univerſalium ordo emergit, qui paralyſes, deliquia, omneſque comatum ſpecies, ſub generali debilitatum ac privationum appellatione, concludit.

Quum libera atque expedita pulmonum actio ad ſanitatem tuendam ſumme neceſſaria ſit, nec, niſi continuata illa, vita continuari poſſit: hi morbi, in quibus ſpirandi difficultas potiſſimam moleſtiam creat, tamquam ſeptimus morborum univerſalium ordo, ſub anhelationum nomine, conſiderandi ſunt.

Ii morbi, in quibus animi facultates in primis turbantur, quorumque ſymptoma præcipuum delirium eſt, a nullo motu febrili dependens, octavo morborum univerſalium ordine, ſub mentis morborum appellatione, comprehenduntur.

Quum in omnibus his morborum ordinibus motus ſyſtematis nervoſi & vaſcularis manifeſto turbentur, in curationibus eo maxime reſpiciendum eſt, ut motus iſti inordinati in ordinem redigantur. Sed quoniam morbi ſunt, qui in fluidorum craſſiorum vitiis conſiſtunt, propriamque curationem deſiderant, ab ea, quam morbi, in ſolidorum vivorum affectibus potiſſimum conſiſtentes, requirunt, diverſam: neceſſarium eſt, ut nonus morborum univerſalium ordo conſtituatur, qui cachexias, ſive morbos, quos vocant, humorales, contineat. Hi morbi ſeſe ipſi manifeſtant per habitus externi mutationes, qui decoloratur, intumeſcit, emaciatur, exulceratur, vel varia cutis fœditate deformatur.

Tantum de prima morborum claſſe, ſubjectiſque illi ordinibus.

Altera claſſis, morbis particularibus, ſive topicis, aſſignata, in octo ordines dividitur. Pertinentque:

I. Ad primum ordinem morbi ſingularum animi

facultatum, memoriæ, imaginationis, judicii;

II. Ad alterum ordinem morbi ſingulorum ſenſuum externorum, viſus, auditus, guſtus, olfactus, tactus;

III. Ad tertium ordinem morbi ſingulorum appetituum;

IV. Ad quartum ordinem morbi ſingularum ſecretionum, vel excretionum;

V. Ad quintum ordinem ii morbi, qui deglutitionis, loquelæ, reſpirationis, atque inceſſus, actiones turbant;

VI. Ad ſextum ordinem ii morbi, qui formam ſpeciemque habitus externi ſic afficiunt, ut major aliqua impotentia, aut moleſtia generalis, non accedat, adeoque nono morborum univerſalium ordine non comprehenduntur;

VII. Ad ſeptimum ordinem ii morbi, qui in ſitu nexuque partium organicarum turbato conſiſtunt: quorſum omnes herniarum, procidentiarum, & luxationum, ſpecies referuntur;

VIII. Ad octavum denique ordinem ii morbi, quos ſolutio continuitatis, vel deſtructio contextus partium, tum mollium, tum durarum, conſtituit.

Tertia morborum claſſis, ſub titulo morborum ſexualium, eos morbos continet, qui vel a diverſa organorum genitalium ſtructura, vel a conditionibus, utrique ſexui propriis, dependent, atque in quatuor ordines diducitur:

I. Morborum generalium,
II. Morborum topicorum,
} maribus propriorum:

III. Moborum generalium,
IV. Morborum topicorum.
} feminis propriorum.

Morbi, maribus proprii, non admodum multi, maximamque partem topici ſunt: morborum autem, feminis propriorum, ingens numerus eſt. Ex his ii, quos pro generalibus haberi oportet, quindecim illorum ſymptomatum generalium concurſus ſunt, & a menſium, graviditatis, puerperii, atque lactationis, vitiis naſcuntur. Topici morbi virginum, ac mulierum, viros expertarum, in ovariorum, uteri, vaginæ, oriſque externi, vitiis conſiſtunt.

Quarta morborum claſſis, ſub nomine morborum infantilium, eos morbos complectitur, qui in ſolis infantibus, quoad dentitione nondum defuncti ſunt, occurrunt, pariterque in generales & topicos dividuntur.

In hoc diviſionis atque diſpoſitionis ſchemate unaquæque morbi ſpecies, ſive Medicorum, ſive Chirurgorum, ſive Obſtetricum, auxilio egeat, includi poteſt, quemadmodum ex ſequente tabula apparebit.

TABULA MORBORUM GENERALIS.

Morbus eſt concurſus affectuum morboſorum, inter ſe connexorum, ſive, ut aliis verbis utamur, morbus eſt compoſitum aliquod ex ſenſationibus moleſtis, vel impotentiis functiones naturales exercendi, quorſum ſæpe numero manifeſta vitia ſingulorum organorum, vel partium corporis, accedunt.

Morbi in quatuor claſſes dividuntur.

CLASSIS I.

MORBI UNIVERSALES.

In his unumquodpiam, vel plura ex quindecim illis ſymptomatibus generalibus, per totum morbum, vel maximam ejus partem, dominantur. Novem hujus claſſis ordines ſunt.

Ordo I. *Febres.* Symptomata characteriſtica ſunt calor immodicus, ſitis, anorexia, debilitas, agrypnia.

Ordo II. *Inflammationes.* Symptomata characteriſtica ſunt dolor, locum non mutans, calor immodicus, ſitis, agrypnia, &, ſi pars, quæ in inflammatione eſt, oculis patèat, rubor ac tumor.

Ordo III. *Profluvia.* In his ſanguis, vel humores, inde ſeparati, præter naturam effunduntur, acceduntque debilitas, anorexia, nonnunquam dolor.

Ordo IV. *Dolores.* In his dolor acutus eſt, conditionum & notarum, veram inflammationem diſtinguentium, febriſque, aut evacuationis morboſæ conſtantis, expers.

Ordo V. *Spaſmi*, ſive *morbi ſpaſmodici.* Symptoma horum characteriſticum eſt ſpaſmus, quem interdum dolor, alias anæſtheſia, comitatur.

Ordo VI. *Debilitates & privationes.* Symptomata horum characteriſtica ſunt ſomnolentia, aſthenia, anæſtheſia.

Ordo VII. *Anhelationes.* Symptoma horum characteriſticum eſt difficultas ſpirandi.

Ordo VIII. *Mentis morbi.* In his memoria, imaginatio, & judicium, confuſa atque perverſa ſunt, ſine febris, aut inflammationis, ſymptomatibus characteriſticis.

Ordo IX. *Cachexiæ*, ſive *morbi humorales.* In his macies, aut tumor univerſi corporis, vel ſingularum partium, exanthemata, decolorationes, exulcerationes, apparent, quibus debi-

litas, anorexia, dolor, vel aliud quoddam ſymptoma generale, accedit.

CLASSIS II.

MORBI TOPICI.

In his unumquodpiam, vel plura ex ſymptomatibus topicis, per totum morbum, vel maximam ejus partem, dominantur. Octo hujus claſſis ordines ſunt.

Ordo I. *Morbi ſingulorum ſenſuum internorum.* In his aut memoria, aut imaginatio, aut judicium, imminuta, vel depravata, vel abolita ſunt.

Ordo II. *Morbi ſingulorum ſenſuum externorum.* In his aut viſus, aut auditus, aut guſtus, aut olfactus, aut tactus, nimis acuti, vel depravati, vel imminuti, vel aboliti ſunt.

Ordo III. *Morbi ſingulorum appetituum.* In his aut alimentorum, aut rerum venerearum, deſiderium nimis acre, vel depravatum, vel imminutum, vel abolitum eſt.

Ordo IV. *Morbi ſingularum ſecretionum*, vel *excretionum.* In his ſingulæ ſecretiones, vel excretiones naturales, aut præter naturam augentur, aut ſupprimuntur.

Ordo V. *Morbi ſingulorum motus organorum.* Ab his devorandi, loquendi, ſpirandi, incedendi, &c. actiones impediuntur.

Ordo VI. *Morbi externi*, ſive *ſuperficiarii*, qui ſeſe ipſi manifeſtant per tumores, ma-

ciem, decolorationes, vel cutis exanthemata, ſine nauſeæ, debilitatis, aliuſve cujus ſymptomatis, acceſſione notabili.

Ordo VII. *Morbi partium organicarum, loco ſuo motarum.* In his partes corporis organicæ e ſitu nexuque naturali prolabuntur, procidunt, vel vi protruduntur.

Ordo VIII. *Solutiones continuitatis, & deſtructio contextus*, ſive mollium, ſive durarum partium, vel ab injuria externa, vel a cauſis internis.

CLASSIS III.

MORBI SEXUALES.

Diviſio hujus claſſis vel a vitiis topicis, ab organorum, ſexus diſtinguentium, ſtructura diverſa dependentibus, vel a conditionibus, utrique ſexui propriis, repetitur. Quatuor huic claſſi ſubjiciendi ſunt ordines.

Ordo I. *Morbi generales, maribus proprii*, qui ſymptomatum generalium concurſus ſunt, a vitiis, in ſexum potiorem tantum cadentibus, naſcentes.

Ordo II. *Morbi topici, maribus proprii*, quos conſtituunt incommoda, a vitiis organorum genitalium, ſexui potiori propriorum, oriunda.

Ordo III. *Morbi generales, feminis proprii*, qui ſymptomatum generalium concurſus ſunt, a vitiis, in ſolas virgines, & mulieres, viros expertas, cadentibus, proficiſcentes.

Ordo IV. *Morbi topici*, *feminis proprii*, qui in organorum genitalium, ſexui ſequiori propriorum, vitiis conſiſtunt.

CLASSIS IV.

MORBI INFANTILES.

Morbos infantiles diſtinguunt ſymptomata, in ſolis infantibus obvia. Duo ſub hac claſſe ſunt ordines.

Ordo I. *Morbi generales*, *infantibus proprii.* Hi ſymptomatum generalium concurſus ſunt, quos conditiones, infantibus ante & per tempus dentitionis propriæ, efficiunt.

Ordo II. *Morbi topici*, *infantibus proprii.* Hi conſiſtunt in affectibus morboſis, ac ſymptomatibus topicis, quæ in ſolis infantibus recens natis, vel adhuc dentientibus, obſervantur.

INTRODUCTIONIS METHODICÆ IN THEORIAM MEDICINÆ

LIBER IV.

Theoria ſingulorum ordinum morborum, & diviſio in genera.

CAPUT I.

De febribus in univerſum, earumque origine & progreſſu.

HACTENUS ſchema quoddam generale, ſecundum quod hiſtorias morborum digeri oporteat, exhibuimus. Progrediemur nunc ad naturam ſingulorum ordinum explicandam, eoſque in genera dividemus, ut, exſequentibus nobis morborum curationes, in ſpeciebus illorum deſcribendis, medendique rationibus indicandis, conſiſtere liceat, neque neceſſe ſit, Lectorum attentionem ulterioribus diſquiſitionibus theoreticis occupare.

Febres, quum omnium morborum frequentiſſimi ſint, merito primum ordinem obtinuerunt.

Febres omnium morborum non ſolum frequentiſſimi, ſed maxime etiam compoſiti ſunt. In ſimpliciſſimis enim, quæ occurrere poſſunt, febribus, ſi non quinque, quatuor quidem certe ſymptomata generalia ſimul juncta ſunt.

Quum hæc ſymptomata non ſemper in omni febre

eadem ſint, neceſſario ſequitur, ut a nobis, generalem febrium ideam exhibentibus, eas febres deſcribi ponas, quæ minime omnium inordinatæ, cæteriſque omnibus ſimpliciores ſint.

Febris ſymptomata interdum pedetentim & per gradus invadunt, adverſæque valetudinis incrementum in dies progredi animadvertimus, donec tota corporis univerſitas tandem ſic turbatur, ut æger naturalibus animi corporiſque facultatibus exercendis impar evadat: alias autem morbi impetus tam repentinus ac vehemens eſt, ut ægrotum ſimul adoriatur, ſimul proſternat.

Febris, ſenſim progredientis, ſymptomata prima hæc fere ſunt, languor, debilitas, atque univerſi corporis laſſitudo, cum carnium dolore, qualis ab exercitatione acriore, vel labore graviori, ſentitur, itemque capitis dolor & gravitas, anorexia, vel nauſea, cum oris lentore. Aliquanto poſt accedunt calor immodicus, ſitis vehemens, atque agrypnia, fortaſſe ſine prævio frigoris nimii ſenſu, vel cum leviuſculis tantum citoque tranſeuntibus horroribus.

Sed, quæ ſubito invadit febris, a moleſto nimii frigoris ſenſu incipit, quem debilitas atque anorexia comitatur. Frigori ſæpe accedit rigor, vel horror, cum præcordiorum oppreſſione, & nauſea, vel vomitu.

Si Lectores in memoriam ſibi revocent, quæ ſupra diximus, quum affectuum morboſorum ſimplicium naturam inveſtigavimus, facile intelligent, fieri non poſſe, quin hunc frigoris immodici ſenſum, ac reliqua, cum ipſo neceſſario conjuncta, ſymptomata, cito calor immodicus, frequenſque aliorum ſymptomatum concomitantium turba, excipiat. Ibi enim oſtendimus, frigoris nimii ſenſum a ſtrictura ſpaſmodica oriri, quæ humorum per partes ſyſtematis vaſcularis extremas circuitum interrumpat, magnamque illorum copiam intro ad centrum urgeat. Quum

vero

vero hæc interruptio diuturna eſſe non poſſit, quin laborantem de medio tollat, natura ſtatim circuitus libertatem reſtituere, humorumque ſtagnantium motum redintegrare molitur. Hinc cor, ab inuſitata ſanguinis, ad ipſum retro acti, mole irritatum, crebrius validiuſque ſe contrahit, atque univerſam fluidorum maſſam per eam, quæ patet, ſyſtematis vaſcularis partem motibus rapidis, vehementibus, atque anomalis, propellit: unde frigoris immodici ſenſus in nimii caloris ſenſum convertitur, cui nonnunquam dolores in variis locis, ſitis autem atque agrypnia nunquam non accedunt.

Videmus itaque, febrem, ſubito invadentem, ſex minimum ſymptomatibus generalibus, inter ſe ſuccedentibus, ſtipari, frigore immodico, cito in calorem immodicum vertente, debilitate, anorexia, ſiti, agrypnia.

Quum hæc ordinaria, ſive eſſentialia, febrium ſymptomata ſint, quæ in ſimpliciſſimis etiam febribus occurrant, pro ſignis characteriſticis hujus morborum ordinis omnino haberi debent. Recte igitur febrem in univerſum ſic definire nobis videmur, ut eam nimii caloris, ſitis, anorexiæ, debilitatis, atque agrypniæ, concurſum eſſe dicamus.

Species febrium magis compoſitas inter ipſa ſtatim initia major ſymptomatum numerus ac varietas comitatur, velut vomitus, vehementes dolores in variis locis, vel etiam ſtupor, & delirium. Sed de his in præſentia non agemus, quum nihil aliud, niſi claram febrium in univerſum notionem exhibere, conſtitutum habeamus.

Aggrediamur nunc ſymptomatum horum, febri legitimæ eſſentialium, progreſſum inveſtigare.

Satis manifeſtum eſt, turbas iſtas vel ab irritatione, cor arteriaſque proxime afficiente, vel a ſtrictura ſpaſmodica, primum humorum per vaſa peripheriæ circuitum retardante, vel interrumpente,

deinde motus anomalos & nimios efficiente, concitari.

Acria, a quibus hæc irritatio proficiſci poteſt, varii generis ſunt. Sed ſi humorum craſſiorum, in ſyſtemate vaſculari contentorum, maſſam non egrediuntur, ita, ut nervos afficiant, ac per hos ſtricturam aliquam ſpaſmodicam efficiant, nunquam febrem, diu manſuram, movebunt. Particulæ enim morbificæ vel brevi ſanis humoribus ſimiles redduntur, ſic, ut ſolida viva inuſitato modo ſtimulare deſinant, vel una cum excrementis e corpore expelluntur.

In febribus igitur paulo longioribus, ſemper colligere licet, non tantum ſyſtematis vaſcularis irritationem adeſſe, quæ motus anomalos atque immoderatos concitet, ſed ſimul etiam ſtricturam aliquam ſpaſmodicam, quæ vaſorum, in peripheria poſitorum, diametros coarctet, humorumque, qui per illa libere atque æquabiliter manare debebant, tranſitum impediat.

Si ſtrictura hæc ſpaſmodica cito ſolvitur, humorum quoque circuitus libertatem atque æquabilitatem cito recuperat. Membranarum, os internum inveſtientium, corporiſque externi, poris patefactis, lingua & cutis humectantur ac molleſcunt, ſudore prorumpente, atque urina ſimul largius reddita, calor ſitiſque depelluntur, ſomnus ciborumque appetentia redeunt, nec ægroti, niſi de reſidua aliqua debilitate, queruntur.

Sin autem ſtrictura iſta ſpaſmodica permanet, fieri non poteſt, ut humorum circuitus liber atque æquabilis ſit. Secretiones itaque pervertuntur, &, quum lucta febrilis inter vim, a centro urgentem, obiceſque, in peripheria obſtantes, hac ratione ſuſtentetur, non ſolum ſymptomata eſſentialia vehementiora ac moleſtiora evadunt, verum cito etiam alia accedunt, quæ pro adventiciis habere licet, velut dolores acres, ingens præcordiorum oppreſſio, ſpirandi difficultas, delirium. Quod ſi irritatio etiam nunc

continuat, neque vaſa conſtricta relaxantur, ſymptomatibus illis, quæ diximus, eſſentialibus & adventiciis alia longe pernicioſiora atque terribiliora ſuperveniunt, ut coma, ſive ſopor continuus, ſpaſmi, anæſtheſia, ſudores frigidi, & tandem mors, niſi rerum in melius mutatio prius eveniat, quam contextus vaſorum in iis organis, quæ ad vitam conſervandam ſumme neceſſaria ſunt, a fluidorum circumeuntium violentia, celeritate, atque acrimonia, deſtruatur, ac niſi noxia, irritationem ſtricturamque ſpaſmodicam foventia, ſubigantur, ſaniſve humoribus ſimilia reddantur, aut per hæmorrhagias, ſudores, diarrhœam, diureſin, anacatharſin, exanthemata, vel abſceſſus criticos, ex fluidorum, per vaſa circumeuntium, maſſa ejiciantur.

Febrium progreſſum perſequentes duo ſtadia in primis notabilia obſervamus, unum frigoris, unde acceſſio incipit, alterum caloris, qui frigus neceſſario excipit. Horum ſucceſſio & ſolutio, ſive criſis, id conſtituit, quod circuitum febris nominant, cujus circuitus ſpatia, pro natura febrium, diverſa eſſe conſueverunt.

Nonnullæ febres unam dumtaxat acceſſionem habent, ab initio morbi ad finem uſque continuatam: aliæ pluribus, per intervalla, vel breviora, vel longiora, redeuntibus, decurſum ſuum abſolvunt, quibus variæ conditiones adjunguntur. Id quod efficit, ut febrium ordinem in genera diſpeſcere poſſimus.

Ante vero, quam hoc agamus, non alienum ab re erit, in cauſas febrium generales inquirere. Quod ſi enim vere perſpexeris, quid omnes illas moleſtias & turbas, quæ febrem comitantur, excitet, facili negotio intelliges, quæ remedia maximam in levandis illis virtutem polliceantur.

CAPUT II.

De cauſis febrium generalibus.

FEBRIS, qualem modo deſcripſimus, cauſas proximas ſine audacia ponere audemus in motu immoderato, quo humores a centro ſyſtematis vaſcularis ad peripheriam propelluntur, & vaſorum, per hanc diſtributorum, nimia ſtrictura, fluidis appulſis reſiſtente.

Strictura ſpaſmodica, vaſorum, per peripheriam diſcurrentium, diametros anguſtans, liberumque & æquabilem fluidorum per illa tranſitum impediens, ante calorem immoderatum prorumpentem, evidenter apparet ex languore, ac præcordiorum oppreſſione, genarum labiorumque pallore, cutis frigore atque ſiccitate, artuumque livore, ubi ſanguinis ſtagnatio ſæpe planiſſime conſpicitur. Poſtea quoque, quam calor moleſtus evadit, ſtricturam illam nondum ſolutam eſſe, liquido patet ex cute arida, ſiti nimia, lotio pellucido, exiguo, alvo obſtructa, fonticulorum, aliorumve ulcerum manantium, exſiccatione, ponderiſque opprimentis, ſive anxietatis, continuatione.

Motus ſyſtematis vaſcularis intentus ſatis ſuperque cognoſcitur ex aucto calore, pulſuque, qui, incipiente febre, ſemper celerior, ac plerumque multo fortior obſervatur, quam ſecundum naturam & in ſanitate eſſe conſuevit, quum circuitus humorum liber atque moderatus eſt.

Proxima motus hujus intenti cauſa cordis ac ſyſtematis vaſcularis irritatio eſt, a ſtimulo quodam, frequentiores fortioreſque contractiones ciente, proficiſcens. Stricturæ autem ſpaſmodicæ, inſolitum illud in peripheria obſtaculum opponentis atque ſuſten-

tantis, cauſa proxima a ſyſtemate nervoſo deducenda eſt, ſiquidem ſatis abundeque demonſtratum eſt, eam neque a ſanguinis lentore, neque ab ulla omnino re, quam ſyſtema vaſculare contineat, proxime oriri. Ideo, quamvis motus ſyſtematis vaſcularis intentus ex aucto calore pulſuque clariſſime appareat, atque univerſam febrem complecti videatur, quæ, niſi rem penitus introſpicias, minime ſyſtematis nervoſi, ſed unius ſyſtematis vaſcularis, affectio reputari poſſit: tamen, ſi ſtricturæ ſpaſmodicæ, a nervis affectis oriundæ, naturam conſideres, ſtatim intelliges, febres, ſi non omnes, at eas certe, quarum acceſſiones diuturniores, vel vehementiores ſunt, in utriuſque ſyſtematis perturbatione conſiſtere. Leviores quidem brevioreſque febrium impetus, quales ſæpe cibi potioniſque immoderatio, corporis exercitatio acrior, vel levis perfrictio, facit, manifeſto ab unius ſyſtematis vaſcularis irritatione, cui nulla prorſus nervorum affectio accedit, proficiſcuntur, biduique fere, vel tridui, ſpatio deſinunt, neque aliis, niſi eſſentialibus, ſive ordinariis, ſymptomatibus, hiſque ipſis minime gravibus, ſtipantur.

De conjunctis autem duabus his cauſis obſervandum eſt, interdum unam, alias alteram prævalere, hoc eſt, in febribus quibuſdam ſymptomata magis motui intento, ſive vi & celeritati humorum, per vaſa circumeuntium, adauctæ, quam nervorum affectioni, tribuenda eſſe: in aliis contra magis a nervoſi, quam a vaſcularis, ſyſtematis perturbatione oriri.

In priori febrium genere pulſus celer, plenus ac fortis eſt, calorque inflammatorius, ſitis, & ſiccitas, multum moleſtiæ exhibent.

In his autem febribus, quæ a nervorum affectione potiſſimum dependent, pulſus potius debilis, parvus, atque depreſſus eſt, calor, ſitis, ac ſiccitas, leviores toleratuque faciliores ſunt: nauſea vero,

præcordiorum oppreſſio, & debilitas, maximopere urgent.

Stabilitis febris cauſis proximis, in remotas nunc inquiramus.

Cauſæ febrium remotæ variæ ſunt: ſed valentiſſimæ ad ſequentia capita revocari poſſunt: ad perfrictionem; ad miaſmata, inficiendi facultate prædita; ad animi affectus; ad excrementa, aliave noxia, in ventriculo, inteſtinis, aliiſque receptaculis, ſubſiſtentia.

SYDENHAMUM ſi audias, *cauſa evidens externa febrium quam plurimarum inde petenda eſt, quod quis ſcilicet vel præmaturius veſtes abjecerit, vel, ab exercitio incaleſcens, ſe frigori incautius expoſuerit.* Neque affirmare dubitat, *plures modo jam deſignato, quam peſte, gladio, atque fame, ſimul omnibus, perire.*

Frigus repentinum non poteſt, quin poros, in corporis ſuperficie hiantes, conſtringat, &, quominus affectæ ac ſuperfluæ fluidorum particulæ, hac via eliminandæ, diſſipentur, impediat. Iſtæ igitur retrorſum actæ, atque in maſſa univerſa retentæ, quam maxime idoneæ ſunt, quæ particularum inſenſilium coitiones, ſolidorum vivorum motus olim turbaturas, efficiant.

Niſi ſecretionis organa mutuam ſibi opem atque operam præſtarent, perſpirationis ſuppreſſio nunquam fere febrem, alioſve morbos, non excitaret. Sed, magno generis humani bono, res ita diſpoſitæ ſunt, ut, quod de excretione per cutem deminutum eſt, id plerumque copioſiore, vel urina, vel alvi dejectione, exæquetur.

Satis notum eſt, aëre ex calido & humido repente in frigidum & ſiccum vertente, perſpirationem multo facilius cohiberi, quam ſi converſio commutatioque iſta paulatim contingat, cæteræque res adjunctæ minus contrariæ ſint. Hinc vulgo tam frequenter in febres incidunt, quoniam ex cubiculis clauſis, a

denſa hominum turba percalefactis, ſubito in aërem apertum & frigidum prodire conſuerunt.

An particulæ, quas frigorificas vocant, in aëre frigido abundantes, atque in corpus receptæ, fundamenta morborum jaciant, nobis quidem non liquere, profitemur, tametſi viri quidam, ingenio præcellentes, illas ſtatuerint. Sed, ut hæ dubiæ controverſæque ſunt: ita de miaſmatibus ambigi non poteſt. Certæ particulæ, per aërem, quem haurimus, fluitantes, corpore receptæ, non raro febrium, aliorumque morborum, fons & origo ſunt. Neminem fore exiſtimo, qui, miaſmatum iſtorum naturam, aut cum aliis rebus ſimilitudinem, a ſe deſcribi poſſe, præſumat, quum modos, quibus generantur, admodum imperfecte cognoſcamus. Nonnulla a rebus putreſcentibus, alia a magna hominum multitudine, in eumdem locum concluſa, oriri videntur: alia contra naturam ſpecificam habent, nec, niſi certam morborum ſpeciem generare poſſunt, & quidem, quod ſumme notabile eſt, non amplius ſemel in eodem homine, quum, partes fluidas ab eadem materiæ morbificæ ſpecie iterum turbari, aut infici non poſſe, appareat.

Nonnulli ex animi affectibus, in primis triſtitia ac metus, ita in corpus agunt, ut perſpirationem ſupprimant, ſecretiones cohibeant, rerumque ſuperfluarum, vel excrementorum, egeſtionem impediant. Eadem igitur, qua frigus repentinum, ratione quum agant, eaſdem quoque ſenſationes & mutationes efficiunt, ſanamque fluidorum animalium craſin deſtruendo, febres gignunt.

Similes eſſe poſſunt rerum acrium, vel excrementorum, in corpore, maxime in ventriculo atque inteſtinis, ſubſiſtentium, effectus. Vermes pariter, variæque illæ ſaburræ ſpecies, non tantum partium harum membranacearum, acutiſſimo ſenſu præditarum, nervos ſtimulare poſſunt, ſed perſæpe etiam

fluida noxia in humorum, per vaſa circumeuntium, maſſam tranſeunt, ubi vel proxime cor & ſyſtema arterioſum irritant, motumque majorem ac levem febriculam excitant, vel, ulterius progreſſa, ipſum tandem ſyſtema nervoſum afficiunt, ita, ut ſtrictu-ram ſpaſmodicam inducant, veramque febrem, diu-tius permanentem, ac ſymptomatum numero & va-rietate majore ſtipatam, accendant.

Fonticulos ſi coire ſiveris, vel ulcera vetuſta, alia-que cutis vitia manantia, medicamentis adſtringenti-bus ac reprimentibus imprudenter exſiccaveris, neque operam dederis, ut alia quædam excretio ſubſtituatur, perrarum eſt, febrem, alioſve morbos, non oriri. Idemque accidit, ubi quis ſubito aut in regiones, ſub alia cœli inclinatione poſitas, tranſit, aut univerſam rationem atque conſuetudinem vivendi immutat.

Hi igitur præcipui febrium fontes, cauſæque an-tecedentes, ſive, quas vocant, remotæ & poſſibiles ſunt. Neutiquam autem illæ febrem in omnibus, in quibus locum habent, movere exiſtimandæ ſunt, verum in his tantum, quorum corpori ſingularis illa, ſed inexplicabilis, ineſt proprietas, quæ materiæ morbificæ actionem adjuvet. Poſſibilium igitur ha-rum cauſarum cognitio ad inveniendam curandi ra-tionem perparum facit. Hactenus quidem prodeſſe nobis poteſt, ut, quomodo febri occurrendum ſit, oſtendat: in ipſa autem curatione ſemper cauſas proximas conſiderari oportet.

Quum itaque febris finiri non poſſit, quamdiu irritatio ſyſtematis vaſcularis manet, & ſtrictura ſpaſmodica canaliculorum minutorum fines coarctare pergit, manifeſtum eſt, in communibus febrium cu-rationibus Medico id maxime negotii datum eſſe, ut, quidquid ſtimulat, removeat, humorumque circui-tum liberum atque æquabilem reddat. Auxilia vero, obtinendis his finibus idonea, ſecundum ſingulas febrium ſpecies, variari, neceſſe eſt.

CAPUT III.

Febrium in genera diviſio.

LEVES illæ febres, quæ ſemel tantum accedunt, nec ultra unum alterumve diem excurrunt, ſive quod materia irritans ſanis humoribus ſimilis redditur, ſive quod ſtrictura ſpaſmodica facile ſolvitur, *ephemeræ* vocantur, propterea quod totum decurſum viginti quatuor horarum ſpatio abſolvere ſtatuuntur. At ſi ea eſt materiæ febrilis indoles, ut neque ſanis humoribus ſimilis reddi, neque tam facile ſeparari, atque ex corpore eliminari, poſſit, ſtrictura ſpaſmodica, quamvis repetitis cordis conatibus, non ſolvitur, febriſque, ultra unum alterumve diem permanens, varia longinquitate producitur, donec vel ſanguinis craſi naturali, ſolidorumque vivorum textura deſtructa, mors ſequatur, vel, ſtrictura ſpaſmodica ſoluta, humores libere atque æquabiliter per corpus circumire rurſus occipiant.

Febris, quæ hoc modo ſine intermiſſione, vel conſpicua etiam remiſſione, per aliquot dies hebdomadaſve decurrit, febris *continuæ* nomine inſignitur, primumque febrium genus conſtituit.

Scriptores quidam ſyſtematici febrem ephemeram tamquam genus diſtinctum conſiderant, ſed minus proprie. Eſt enim tantum leviſſimus febris continuæ gradus.

Febres continuæ in plures dividuntur ſpecies, a diverſis fluidorum conditionibus, aliiſque rebus concomitantibus, quas ſeorſim indicaturi ſumus, quum ad ipſarum curationes venerimus.

Sunt autem febres, in quibus, quamquam ſtrictura ſpaſmodica paucarum horarum ſpatio manifeſte ſolvi-

tur, materiæque morbificæ, quam hîc facile ſeparabilem eſſe oportet, per varia corporis oſtia exitum concedit: noxiæ tamen particulæ non in totum expelli, ſed fomitem aliquem in corpore relinquere videntur, qui nunc ad brevius, nunc ad longius temporis intervallum, deliteſcat, quoad, afficiendo ſyſtemati nervoſo rurſus ſufficiens, novam ſtricturam ſpaſmodicam integret: unde nova febris acceſſio, incipiens, ſicut prior, a frigore immodico, horrore, nauſea, & præcordiorum oppreſſione, ſuccedentibus calore acerrimo, ſiti, dolore, agrypnia, quæ pororum vaſorumque conſtrictorum relaxatione, copioſo ſudori, urinæque craſſæ ac limoſæ, exitum concedente, terminantur. Hujus generis febres *intermittentes* appellantur, quarum variæ ſpecies ſunt, acceſſionum reverſionibus, ſpatiique, inter ſingulas interpoſiti, longinquitati reſpondentes.

Sed tertium febrium genus eſt, in quo materia morbifica ſeparabilis quidem reperitur, ſed non ita, ut corpus, quemadmodum in intermittentium genere, a ſymptomatibus febrilibus plane liberum relinquat. Separationem enim hîc ex parte dumtaxat fieri apparet, quum ſola remiſſio ſit, hoc eſt, aliquantum quidem ex ſymptomatum vehementia minuatur, ſed febris non ex toto, ut in intermittentibus, conquieſcat. Ex quo hujus generis febres *remittentes* vocantur, quæ pro variis ſymptomatibus, aliiſque rebus adjunctis, diſtincto ipſas charactere notantibus, in varias ſpecies diſpeſci poſſunt.

Quartum febrium genus eæ conſtituunt, quæ *exanthematicæ* nominantur. Aliqua his cum remittentibus communia ſunt. Simul atque enim id, quod ſymptomata febrilia concitat, quidquid illud ſit, vel per poros, in arteriarum lateribus hiantes, vel per harum oſtia patentia, expulſum, in cutiſque parte cellulosa inter ſolida inertia depoſitum eſt, irritatio ac ſtrictura ſpaſmodica, adeoque pariter omnia ſymp-

tomata moleſta, inde dependentia, decedunt, vel remittunt: quæ quidem deceſſio, vel remiſſio, ſeparationi atque expulſioni particularum noxiarum proportione reſpondet.

Febres exanthematicæ in ſpecies diduci poſſunt a varia forma, varioque progreſſu exanthematum, a quibus variolarum, morbillorum, febris ſcarlatinæ, febris miliaris, *&c.* nomen trahunt.

Quintum, idemque ultimum, febrium genus *hectica* conſtituit. In hoc febrium genere ſyſtema nervoſum multo minus, quam in quovis alio, affici apparet, morbuſque præcipue tribuendus eſſe videtur ſanguinis agitationi & ſyſtematis vaſcularis irritationi, a rebus acribus atque ſtimulantibus oriundæ, quæ ex locis, ubi natæ, vel accumulatæ fuerunt, reſorptæ, atque in humorum, per vaſa circumeuntium, maſſam delatæ, per intervalla febriculas moveant, quæ paucas poſt horas vel leviores evadunt, vel, intermittentium more, ſic deſinunt, ut ex toto ſequatur integritas. Ratio hinc reddi poteſt, cur hoc febrium genus minus cito interimat, quam cætera, in quibus ſyſtema nervoſum ſemper multo gravius afficitur. Hectica tamen febris, niſi fomite ipſius prorſus exſtincto, vel remoto, ſemper tandem evadit mortifera.

Hoc febrium genus, æque ac quatuor antecedentia, in varias ſpecies dividi poteſt, quas ſuo loco deſcribemus.

CAPUT IV.

De criſi febrium, & diebus criticis.

CRISEOS vocabulum a Medicorum filiis eam ob cauſam adoptatum eſſe videtur, quod animo con-

ceperint, morbos quaſi adverſarios quoſdam eſſe, qui in corporis humani poſſeſſionem involent, idque vel injuria afficere, vel plane deſtruere, contendant: naturam autem, de conſervando corpore ſemper ſollicitam, omni conatu id moliri & pugnare, ut adverſarium devincat, vel ejiciat, unde neceſſario certatio aliqua inter naturam ac morbum exiſtat, quam ſic, ut quamvis aliam litem, tandem terminari, & ſecundum alterum contendentium judicari oporteat. Ita criſeos voce, a ſcriptoribus Græcis ad ſignificandam iſtam, quam ſtatuebant, dijudicationem inducta, atque adhibita, hodie quoque ad denotandum febris exitum utimur, quo, poſtquam ad ſummum viguorem pervenit, niſi ægrum peremerit, ſymptomata primum levantur, deinde ex toto deſinunt, ſanitaſque paulatim redit.

Inſtante criſi, inſolita quædam molimina & luctamina apparent, quum materia morbifica, poſtquam febris per aliquot dies tenuit, copioſior, quam ab initio fuerat, evadere, latiuſque per corpus diffundi videatur.

Materiam morbificam primi artis ſalutaris Magiſtri in principio febrium, & aliquot diebus poſt, crudam; progrediente autem morbo, maturam, ſive coctam (hoc enim vocabulo uti conſueverant); tandem, ſub criſeos tempus, noxias particulas ſeparationi aptas, hiſque, ſub ipſa criſi, partim per cutis poros, partim per urinæ vias, aliaque oſtia, eliminatis, corpus integrum morbique immune dimitti ſtatuerunt. Ex quo factum eſt, ut, quamdiu materia morbifica in cruditate foret, expulſionem illius intempeſtive atque periculoſe agitari judicarent, & conſtantis regulæ loco ponerent, Medico tunc temporis nihil agendum, ſed exſpectandum eſſe, dum coctionem abſolutam, materiamque morbificam mobilem, atque excretioni aptam eſſe, appareret.

Cruditatem autem hanc, ac materiæ morbificæ

coctionem, ad unamquamque febris ſpeciem extendentes, fines illarum longius, quam par eſt, protulerunt. Plures enim febres, quominus ad periculum aliquod evaleſcant, præpediri, opportunaque curatione inter ipſa ſtatim initia tolli poſſunt: alias vero, etiamſi per totum ipſarum decurſum nihil moveas, ſed omnia ſoli naturæ committas, ſine ulla, quam ſenſibus percipere liceat, evacuatione critica finiri obſerves.

In febribus quidem exanthematicis, & quibuſdam ex continuarum, intermittentium, ac remittentium genere, omnino hanc doctrinam veritate fundatam eſſe, apparet: tametſi ſummi nominis Medici notiones iſtas cruditatis, coctionis, & materiæ morbificæ, prorſus exterminare geſtiant, ut qui febres non, niſi ſyſtematis nervoſi affectiones, eſſe, neque ab ulla re morbifica, in humoribus craſſioribus latente, dependere cenſeant.

Veteres Medici Græci, in quorum animis iſtæ, quas diximus, notiones tam alte inſederant, ut omnes conatus, a medentibus ad corpus, materia morbifica liberandum, cruditatis tempore adhibitos, pro intempeſtivis atque periculoſis haberent, perparum in febribus egiſſe, coctionemque tantum non ſemper ſoli naturæ reliquiſſe videntur. Ideoque plus otii, majorque opportunitas iis fuit, morbi progreſſum obſervandi, quam pleriſque noſtræ ætatis Medicis, qui, nunquam otioſi ſpectatores, ſemper aliquid vel facere in ægris, vel ipſis dare, conſueverunt.

Atque hi veteres, nihil fere aliud faciendo, niſi veras & genuinas naturæ molitiones in materia morbifica, primum præparanda, deinde ſeparanda, ad poſtremum evacuanda, obſervationibus vel didicerunt, vel certe didiciſſe ſibi viſi ſunt, febrium continuarum criſin certis quibuſdam diebus, a prima morbi acceſſione numeratis, contingere.

Hi, ſi febris ultra tres hebdomadas non excurre-

bat, erant dies tertius, quintus, ſeptimus, nonus, undecimus, quartus decimus, decimus ſeptimus, unus & viceſimus: ſin autem morbus ſpatium illud egrediebatur, diem quartum & tertium vicibus alternis numerabant uſque ad diem quadrageſimum ſecundum, ſive ſextæ hebdomadis finem.

Criticorum horum dierum alii aliis potentiores exiſtimabantur, ita, ut ſumma potentia quarto decimo, proxima ſeptimo daretur.

Præter hos dies, quibus mutationes, ægrotanti ſalutares, exſpectabantur, alii erant, quos, tamquam indicarent, quid inſequentibus diebus eventurum eſſet, indices nominabant. Ita quartus ſeptimi, undecimus quarti decimi index erat.

Primo aſpectu non mediocris hîc apparet ſuperſtitio, qua antiqui ad certos numeros, tunc admodum celebres, reſpexerint. Atque hoc judicii ex ipſis veteribus nonnullos tuliſſe, ſcire facile eſt, uno CELSO lecto, eo loco, quo hanc doctrinam, ejuſque inventorem, HIPPOCRATEM, vanitatis coarguit.

Opera, quæ huic medicinæ conditori adſcribuntur, ejuſque nomen præ ſe ferunt, manifeſto a pluribus compoſita ſunt, nec eamdem omnia auctoritatem habent. Et criticorum quidem dierum, fatendum eſt, illorum tantummodo, quorum ratio in primis haberi debeat, ſchema certum ſibique conſtans exhiberi: qua de re dubitare non poterit, quicumque loca illa, in quibus dierum criticorum fit mentio, inter ſe comparaverit. Enimvero famigeratus ille Profeſſor Vindobonenſis, ANTONIUS de HAEN, omnem harum diſcrepantiarum culpam in librarios imponit, qui litteras græcas, numeris exprimendis inſervientes, inter ſe permutando, dierum criticorum doctrinam confuderint atque perturbaverint. Neque enim hic accurationis neglectus obſtat, quominus ipſe, & complures alii illuſtres expertique Medici, dies illos arcte teneant, mordicuſque defendant,

ſummæ neceſſitatis eſſe dictitantes, ut morbi mutationes, tunc temporis proprie evenire ſolitas, exſpectes, caveaſque, ſanguinem mittas, aut aliquid exhibeas, quod alias, atque eas, quas natura moliri videatur, evacuationes ciendo, ad criſin turbandam pertinere poſſit.

In partibus Europæ meridionalibus, & in Aſia minore, ubi medicina primum agitata atque exculta eſt, febrium progreſſus certum ſervat ordinem, quem in his regionibus fruſtra quæras. Nulla igitur res prohibet, quo veterum obſervationes minus veræ ſint, tametſi cum iis, quæ ſub plaga cœli frigidiore ac mutabiliore factæ ſunt, non conſpirent.

CAPUT V.

Generalis deſcriptio & theoria inflammationis.

INFLAMMATIONES tam propinqua cognatione cum febribus conjunctæ ſunt, ut multi ad eumdem ordinem illas retulerint, ſed minus proprie, ſiquidem inflammatio privas quaſdam notas habet, quibus a febre, ac quovis alio morborum genere, diſtinguitur.

Inflammatio ſatis conſpicua eſt, ſi pars affecta oculis patet: ſin autem interna eſt inflammatio, id eſt, ſi partem aliquam, tribus illis cavis majoribus incluſam, occupat, ſigna ejus ſæpe incerta ſunt atque ambigua.

Theoriæ inflammationis, noſtra ætate fere Medicorum conſenſu receptæ, BOERHAAVIANA & HOFMANNIANA ſunt.

Ex BOERHAAVII ſententia, inflammationis ſedes eſt in ultimis arteriarum minorum finibus, oriturque ab obſtructione, vel quod diameter vaſorum imminuitur, vel quod humorum, per vaſa circumeuntium,

particulæ majores evadunt, quam ut libere per canales ſuos tranſire poſſint.

In *Aphoriſmorum de cognoſcendis & curandis morbis Sect.* 375—377, omnes illæ variæ obſtructionis hujus cauſæ enumerantur, ſive ab imminuta vaſorum diametro, ſive ab aucta globulorum mole dependere ſtatuatur. Sed, præter has cauſas, BOERHAAVIUS obſtructionem docet accidere poſſe ab errore loci, hoc eſt, a globulis, recto, ut ita dicam, itinere lapſis, atque in vaſa devertentibus, quorum diametri arctiores ſunt, quam ut liberum iis tranſitum concedant.

Obſtructione ſemel nata, ſive ab errore loci, ſive ab alia qua cauſa, fluida ſubſequentia, ut ipſe opinatur, a tergo vi majore ad locum obſtructum urgentur, ut viam ſibi præcluſam aperiant, atque ita ſanguis accumulatur, arteriæ minimæ diſtenduntur, earumque fibræ diſtrahuntur, cava autem globulis majoribus, quam ſecundum naturam capiunt, replentur: qui quidem globuli eodem tempore violenter agitantur, ſibique in vicem & vaſorum lateribus affricantur, unde omnia illa inflammationis ſymptomata characteriſtica, tumor, dolor, rubor, calor.

Quam HOFMANNUS tradidit inflammationis theoriam, in ſumma rei a BOERHAAVIANA non diſcrepat. Nam & ipſe ſtaſin, ſive ſtagnationem, ſanguinis in minimis arteriis ſtatuit, a ſtrictura vaſorum ſpaſmodica oriundam, quæ vero a firmitate fluidorum mutata non dependeat.

Sed, ſalva veneratione, illuſtribus illis nominibus debita, inquirere nobis liceat, an non cauſæ inflammationis proximæ his, quas illi propoſuerunt, plane ſint contrariæ, & an non tantum abſit, ut ſanguis tranſitu per partium, inflammatione correptarum, arterias prohibeatur, ut potius latera vaſorum juſto minus reſiſtentia inveniat, & per arterias æque, ac venas, majore vi atque celeritate feratur.

Experimenta,

Experimenta, in vivis animalibus capta, & repetita, demonſtrarunt, etiamſi globuli craſſiores viam per extremos arteriarum fines præcludant: ſanguinem tamen novum, a corde ſuccedentem, adeo non vi majore contra hoc obſtaculum arietare, ut potius ab obſtructis his vaſis penitus deflectat, atque in ea, quæ libera ſunt, dimanet. Ramo enim arteriæ cujuſdam ligato, ſanguis ab eo divertere, atque in vicinos, qui aperti perviique ſunt, ſic influere obſervatur, ut arteriæ inter vinculum & cor neque tumorem permanentem, neque dilatationem, efficiat.

Eadem in corpore humano accidunt, ubi via prorſus intercluſa eſt, velut in arteriis umbilicalibus, poſtquam infans in lucem editus eſt, & in iis arteriis, quæ in aneuryſmatis curatione vinculo injecto occluduntur.

Demonſtrato, nec figuram vaſorum, quæ tamquam tubi conici conſiderari nequeunt, nec ſanguinis compoſitionem, cujus rubor a ſex globulorum ſeroſorum coalitu non dependet, receptæ obſtructionis notioni favere, & neque obſtructionis, neque ſtaſeos, ut jam locum his eſſe largiamur, eos eſſe effectus, qui inflammationem proprie diſtinguant: hæc igitur quum ita ſint, reliquum eſt, ut, quæ ſint illæ mutationes, ex quibus maxime vulgare hoc morbi genus originem trahat, diſpiciamus.

Qui nuper magnum ſui deſiderium reliquit, Cel. WHYTTIUS, omnium fere primus theoriam BOERHAAVIANAM in dubium revocare auſus eſt, prolatis in medium argumentis, quibus opinionem, qua inflammationes a ſtaſi, vel obſtructione, derivantur, refelleret. Rationibus, quæ non perſuadeant, ſed cogant, a Viro Illuſtri demonſtratum eſt, cordis atque arteriarum majorum vim circuitui humorum, per totam ſyſtematis vaſcularis univerſitatem promovendo, imparem eſſe, &, niſi nova aliqua vis accedat, motus oſcillantis nomine inſignita, quæ fluida in vaſis

minimis propellat, univerſæ maſſæ progreſſum cito terminatum iri.

Omnia, quæcumque generali ſtimulorum appellatione comprehenduntur, facultatem habent, ſi corpori admoveantur, motum hunc oſcillantem augendi, per quem ſanguinis, humorumve, inde ſeparatorum, per ſingulas ſyſtematis, ita affecti, partes curſus, pro majore minoreve irritatione, magis minuſve intenditur.

Evidentius magiſque obvium facultatis hujus argumentum dari non poteſt, quam id, quod, corpuſculo quodam in oculum illapſo, organique hujus, tenerrimo ſenſu prædiți, vaſa irritante, accidere obſervamus. Minimo momento poſt oculus in inflammatione eſt, hoc eſt, incaleſcit, atque indoleſcit, vaſa ſanguine turgeſcunt, humorumque copia uberior ad partem affectam confluit.

Parti cuidam ſentienti ſi vulnus pungendo, ſecando, vel lacerando, inferatur, ſi cauſtica, vel acria ſtimulantia, ignis, vel res nimis excalefactæ, admoveantur, motus oſcillans conſtanter ac perpetuo augetur, & inflammatio aliqua exiſtit.

Sed alius cujuſdam momenti habenda eſt ratio, hoc eſt, obſtaculi, quod vaſa in peripheria corporis, ac per univerſum ſyſtema vaſculare, vi cordis, a centro urgenti, opponunt. Obſtaculum enim hoc ſi, tunicis vaſorum mollitis, laxatis, ruptis, ſectiſve, minuatur, vel tollatur, ſanguis nunquam verſus partem debilitatam non impellitur.

Habemus itaque alterum inflammationum fontem, quem cucurbitularum effectus demonſtrant. Cucurbitula ſuperficiei corporis impoſita, aëreque vel educto, vel rarefacto, tantum de vaſorum, cuti ſubjectorum, vi reſiſtendi detrahitur, quantum ab aëris, corpus noſtrum ambientis, preſſu dependet, unde ſanguis mox in vaſa hæc debilia irruit, eademque diſtendit, ac manifeſtum calorem, cum dolore, tumore,

& rubore, movet: quæ vero omnia, cucurbitula remota, aëriſque externi preſſu reſtituto, brevi admodum tempore conſidunt, atque evaneſcunt.

Eadem, aqua calida, vel pultibus emollientibus, parti cuidam admotis, apparent, ita tamen, ut hîc & latius pateant, nec tantopere in oculos incurrant.

Ex quibus conficitur, duas eſſe inflammationis cauſas proximas, unam motum oſcillantem vaſorum minimorum nimis auctum, alteram vim reſiſtendi in iiſdem imminutam.

Ab utralibet harum cauſarum fugax naſcitur inflammatio: ſed ſi a ſola ſtimulorum, motum oſcillantem augentium, actione, aut a ſola relaxatione, vique reſiſtendi imminuta, oritur, ſymptomata, quæ accedunt, non, niſi levia, ſunt, neque inflammatio penitus inſidit. Talem enim ſola utriuſque cauſæ conjunctio, hoc eſt, vaſorum ſimul & vis reſiſtendi imminuta, & motus oſcillans auctus, excitare poteſt.

Conſociata utriuſque cauſæ actione, ſanguis in partis affectæ vaſa irruit, & per illa inuſitata quadam vi atque celeritate propellitur: unde omnia inflammationis ſigna ac ſymptomata eſſentialia facile deduci poſſunt.

Primum calorem ſequi, neceſſe eſt. Quæcumque enim cauſa caloris primigenia eſt, ſanguinis motus, ad nimiam velocitatem evectus, nunquam calorem non auget.

Sanguinis, ultra naturalem menſuram calefacti, volumen magis minuſve expanditur atque dilatatur: quo ipſo vaſa affecta diſtenduntur, & majori etiam ſanguinis ſubſequentis copiæ via aperitur, qui illico in canales minimos urgetur, pluraque vaſa, ſecundum naturam atque in ſanitate, manifeſto nihil, niſi limpham pellucidam, vehentia, nunc ſanguine onerat: unde rubor, indivulſus inflammationis comes, potiſſimum proficiſcitur.

Neque vero minimæ tantum arteriæ ita ultra mo-

dum diſtenduntur, ſed venarum quoque principia dilatantur: id quod nemini, qui oculum, inflammatione laborantem, inſpexerit, lucidum eſſe non poteſt atque evidens. Plura enim, & haud ſcio, an pleraque vaſa, quæ tam turgida apparent, candidumque oculi colorem obſcurant, tunicæ conjunctivæ venæ ſunt.

Venis pariter, atque arteriis partium, inflammatione correptarum, nimio ſanguine oneratis, tumor, tenſio, & duritia, partem morbi neceſſario conſtituunt. Arteriæ enim nimium diſtendi non poſſunt, quin tunicarum pori, ſecundum naturam oleum tantum limphamque tranſmittentes, æqua portione dilatentur. Per dilatatos autem hos poros non ſolum tenuiorum illorum, quos diximus, humorum copia juſto major, ſed aliquid etiam ex craſſiore ac rubicunda ſanguinis parte exſudat: unde ruboris intentio, & tumor. Quod ſi partis, in qua inflammatio incidit, tela celluloſa laxa atque copioſa eſt, tumor magis minuſve diffunditur, ac citius ſeriuſve exiſtit.

Dolor, propter diſtractionem & tenſionem ſolidorum vivorum, neceſſarium quoque inflammationis ſymptoma eſt.

Si vaſa, quibus inflammatio inſidit, cum ſolidis partibus firmius connexa ſunt, vel magna illorum pars recta decurrit, major in iis locum habet tenſio. Hujus autem magnitudini doloris magnitudo reſpondere ſemper obſervatur. Itaque hinc ratio reddi ſolet, cur eas inflammationes, quæ cutis, aliarumque partium membranacearum firmiorum, vel oſſium, tendinum, ligamentorum, cartilaginum, vaſa occupant, ſemper dolores ſatis acuti comitentur, iis autem, quæ viſcera molliora glandulaſque afficiunt, dolores minus vehementes, interdum perexigui, accedant.

Febris etiam, vel nonnulla potius ſymptomata, febri propia, omnibus inflammationibus paulo gravioribus accedunt: id quod multos rerum medicarum ſcriptores induxit, ut duos hos morbos confunderent.

Sed in ſimpliciſſimis etiam febribus, ſi non quinque, quatuor ſaltem, ſymptomata generalia conjuncta apparent, calor immodicus, ſitis, anorexia, debilitas, agrypnia, quum contra in inflammationibus, ſi maxime compoſitas, ac moleſtas excipias, tria tantum ex quinque illis ſymptomatibus occurrant, calor immodicus, ſitis, agrypnia, adeoque reliqua duo ſymptomata, debilitas atque anorexia, quæ nervoſi potiſſimum ſyſtematis affectiones ſunt, quibuſque nulla febris, diu manens, carere poteſt, pro ſymptomatibus inflammationis eſſentialibus falſo habeantur.

Si inflammationes ab injuriis externis oriuntur, velut a vulneribus, aduſtionibus, contuſionibus, fracturis, luxationibus, quæ duplici ratione agunt, utpote non modo humorum motum per irritationem incitando, verum etiam vaſorum contextum diſſolvendo, vel latera ipſorum debilitando: in his igitur inflammationibus partium affectarum calorem, dolorem, ruborem, ac tumorem, prius obſervare licet, quam ex pulſu vim atque velocitatem totius humorum maſſæ auctam eſſe percipias, aut febris ſymptomata, calor, per univerſum corpus diffuſus, ſitis, agrypnia, aliquid moleſtiæ exhibeant, adeoque febris hic non, niſi inflammatione jam nata, accenditur.

Sæpe autem numero contingit, ut inflammationes ex febre oriantur. Febre enim nata, ſi organi, vel partis alicujus, vaſis accidat, ut ipſorum vis reſiſtendi minuatur, aut ſi qua res acris ſtimulanſve cum ſanguine permixta ſit, quæ alicubi locorum deponatur, vaſa hæc debilitata, vel irritata, citæ inflammationes occupabunt, quoniam univerſa fluidorum maſſa, violento motu in anteceſſum agitata, in hæc vaſa ſtatim irruit, quo irritatio atque obicis remotio eam invitant.

Quantum inflammationes, febrium acceſſionibus ita ſuccedentes, terrere debeant, quantoque cum periculo conjunctæ ſint, ſatis abundeque per ſe patet. Prorſus multis in febribus proxima mortis cauſa ſunt.

Ideoque Medici, inflammationibus iſtis internaſcentibus occurſuri, in principio febrium, ſaltem earum, quæ pulſum fortem, plenum, ac velocem, motuumque ſyſtematis vaſcularis valde intentorum ſigna exhibent, tempeſtivis aptiſque evacuationibus vim ſymptomatum ita moderari ſtudent, ut periculum non ſit, ne nimia ſanguinis moles per febris decurſum in partium nobiliorum vaſa compellatur.

CAPUT VI.

De variis modis, quibus inflammatio terminari poteſt, reſolutione, exſudatione, ſuppuratione, gangræna, ſcirrho.

QUinque modi ſunt, quibus nata inflammatio terminari poteſt.

Primus, iſque cæteris optabilior, modus eſt *reſolutio*, ſive diſcuſſio, alter *exſudatio*, tertius *ſuppuratio*, ſive abſceſſus, quartus *gangræna*, quintus *ſchirrhus*, ſive duritia & tumor, dolorem non movens.

RESOLUTIO.

Si protinus inter initia morbi Medicus id conſequi poteſt, ut prius motus oſcillantis intentio minuatur, vaſaque priſtinum robur recuperent, quam fluida, quæ per poros, in arteriarum lateribus hiantes, in telæ celluloſæ interſtitia exſudant, vel eo uſque accumulentur, vel tam craſſa atque tenacia evadant, ut neque a vaſis abſorbentibus imbibi, neque per cutis poros diffflari poſſint, inflammatio reſolutione terminatur, quam, ſi res patitur, ſemper hac ratione moliri debemus, ut ſanguinis curſum divertamus, motum immoderatum compeſcamus, tunicas vaſorum corro-

boremus ac ſuſtentemus, fluidorumque accumulatorum diſſipationem promoveamus.

EXSUDATIO.

Sin autem hi fines commodum intra tempus obtineri nequeunt, ſanguiſque in partis, inflammatione correptæ, vaſa vi inuſitata irruere pergit, tum arteriæ diſtenduntur, pori, propter increſcentem calorem, & humorum expanſionem, magis magiſque dilatantur, dilatatique magnam fluidorum copiam elabi patiuntur, quæ vel in telæ cellulosæ interſtitiis deponitur, vel ex partis, inflammatione laborantis, ſuperficie exſudando eliminatur.

Humor, exſudando eliminatus, quantum ad colorem, odorem, ac firmitatem, attinet, a ſanguine, limpha, muco, & quovis alio humore, qui ante inflammationem in corpore fuit, plurimum differt. Quæ quidem differentiæ partim a menſura, qua arteriarum pori dilatantur, partim a mutationibus, quas particularum ſanguinis inſenſibilium coitiones ſubeunt, repetendæ eſſe videntur.

Vaſis hoc modo exoneratis, ipſorumque fibris a nimia diſtractione ac tenſione liberatis, calor defervescit, dolor conquieſcit, tumor ſubſidit.

Si inflammatio in vaſis, cuti, membranæve cuidam, cava atque itinera interna inveſtienti, vel viſcera obtegenti, intextis, ſedem habet, hæc per exſudationem evacuatio morbum ſolvit. Atque hoc modo inflammationes, ab aduſtionibus & vulneribus natæ, ſemper finiuntur, ſiquidem, digeſtione incipiente, puriſque evacuatione augeſcente, dolor, calor, tumor, ac rubor, minuuntur, & per gradus evaneſcunt. Eadem ratione ſæpius illa inflammationis ſpecies terminatur, cui eryſipelati nomen, ſedeſque in cutis vaſis eſt. Numeroſiſſimæ enim puſtulæ, vel veſiculæ, in cute exortæ, multo humore profuſo, vaſa, quæ in

inflammatione ſunt, exonerant. Similem in modum, ſi membranæ, quæ nares, fauces, arteriam aſperam, vel veſiculas pulmonales, inveſtiunt, leviore inflammatione tentantur, exſudatio hæc morbum non raro ſolvit. Idemque præſtat in vulgatiſſimo illo gonorrhœæ virulentæ morbo, in quo inflammatio vaſis urethræ inſidit.

Si materia, ſic exſudans, atque inflammationem ſolvens, liberum facilemque exitum invenit, bene proſpereque omnia procedunt, & ægrotus celeriter cum ſanitate in gratiam redit. Minus autem ſecunde res cadit, ſi pus, ex membranis, thoracem atque abdomen inveſtientibus, vel viſcera, in utroque cavo ſita, obtegentibus, effluens, ibi ſubſiſtit. Quamvis enim dolor conquieſcat: nova tamen ſymptomatum turba ſuboleſcit, mox hecticam febrem datura.

SUPPURATIO, *ſive* ABSCESSUS.

Alter, quo inflammationes terminari poſſunt, modus, ſive exſudatio, perſpicue ita demum locum habet, ſi morbus vaſa, prope corporis ſuperficiem decurrentia, occupavit. Etenim, ſi inflammatio in viſcus aliquod, vel partem muſculoſam, aut glandulosam, altius deſcendit, neque reſolvi & diſcuti poteſt, brevi contingit, ut arteriarum pori majorem humorum copiam exſudent, quam ut vaſa abſorbentia imbibendæ illi atque avehendæ ſufficiant. Unde fit, ut exſudati iſti humores accumulentur, brevique fermentari incipiant, & tandem facultatem nanciſcantur, lamellas, per quas vaſa fibræque muſculares, æque ac cellulæ, vel veſiculæ, adipem continentes, connectuntur, diſſolvendi atque colliquefaciendi.

Hoc pacto naſcitur, quod a Chirurgis pus nominatur, ſive materia abſceſſuum. Iſque tertius modus eſt, quo inflammationes terminari conſuerunt.

Dum abſceſſus fit, ejuſque materia colligitur, quæ-

dam ex particulis purulentis, idemtidem abſorptæ, atque in humorum, per vaſa circumeuntium, maſſam revectæ, horrores inordinatos excitant, quos fugaces commotiunculæ febriles excipiunt, niſi aucta materiæ collectione, cyſtis, vel ſaccus quidam compactus, quo ipſa contineatur, a lamellarum telæ cellulosæ circumjacentium compreſſione atque induratione exiſtat. Hæ namque lamellæ nonnunquam tam firmæ valenteſque evadunt, ut pus coërceant, & parum, vel nihil, reſorberi patiantur. Tum vero neque horrores, nec, qui his ſuccedere ſolent, calores ſentiuntur, ſed omnia tranquillata ſunt, donec abſceſſus aut rumpitur, aut in tantam excreſcit molem, ut organum aliquod neceſſarium comprimat.

Ex modis, inflammationem ſolventibus, ſecundum reſolutionem, ſive diſcuſſionem, maxime exoptanda eſt exſudatio, cum hac tamen exceptione, ut materia exſudata facilem inveniat exitum. At ubi exſudatio non evenit, abſceſſus votum eſſe debet, quoniam ſolida, per ſuppurationem deſtructa, non ad ea pertinent, quæ ſolidorum vivorum appellatione ſignificantur. Nam a magnis etiam ſpatioſiſque abſceſſibus, ſi eas partes occupent, quæ maturam ipſorum apertionem, plenamque puris contenti evacuationem permittant, poſtquam conſanuerunt, raro aliquid relinqui videas, quod partis affectæ motui, robori, & ſenſui, in perpetuum officere poſſit: id quod luculentiſſime demonſtrat, exiguam, ac potius nullam, hîc eſſe nervorum, vaſorumve ſanguiferorum, deſtructionem. Quamquam enim vaſa ſanguifera per nimiam ſui diſtentionem, & pororum ſuorum dilatationem, quæ a nimia illa diſtentione neceſſario efficitur, maximopere læſa fuerunt: brevi tamen, niſi ſi fibræ ipſorum penitus diſruptæ ſunt, naturali ſua vi elaſtica ſeſe reficiunt: ſolida autem inertia, quæ in pus delicuerunt, hoc evacuato, abſceſſuque perſanato, admodum cito per novam particularum nutrientium, telæ

celluloſæ interſtitiis infuſarum, acceſſionem reparantur.

GANGRÆNA.

At ſi motus humorum, per partis, inflammatione laborantis, vaſa commeantium, tam vehemens eſt, aut ſi tunicæ arteriarum tam infirmæ ſunt, ut, quum alias poros ſuos tantummodo dilatent, humoreſque in telæ celluloſæ interſtitia elabi patiantur, nunc cedant ac diſrumpantur, vaſorum illorum contextus deſtruitur. Propter fibras ſolidorum vivorum diſruptas, dolor conquieſcit, &, propter ſanguinem e vaſis effuſum, pars, quæ prius rubra atque nitida fuerat, corrugatur, coloremque fuſcum, vel lividum, induit; cellulæ, quas in ſuppuratione limpha potiſſimum oleumque replet, nunc ſanguine onerantur; ſanguis hic celeriter corrumpi incipit, ſplendidumque ſuum ruborem amittit; ſerum autem, a parte rubicunda ſecedens, ſuperficiem verſus ejicitur, cuticulamque in veſiculas attollit.

Hoc modo gangræna fit, cujus ſi conſideres progreſſum, facile intelliges, in iis, quorum ſanguis acrimonia laborat, aut vaſorum tunicæ aduſtionibus gravioribus læſæ, vel morbo aliquo prægreſſo paulatim debilitatæ ſunt, inflammationis, in gangrænam deſituræ, periculum longe majus eſſe, quam in his, qui tali acrimonia, læſione, vel debilitate, vacant.

Ac profecto gangræna raro alia, quam quæ diximus, corpora corripit. Quæ ratio eſt, cur in ſenilibus, vel iis, quæ mali habitus ſunt, quorſum ſcorbuto, vel hydrope, affecta pertinent, quorum humores in univerſum acres, ſolidæque partes infirmæ, vel fragiles, ſunt, multæ inflammationes, a leviſſimis injuriis natæ, atque inter principia minime periculoſæ viſæ, toties gangræna, & morte, finiantur.

SCIRRHUS.

Supereſt, ut ultimum inflammationis exitum explicemus, qui ſemper a ſcriptoribus ſyſtematicis commemoratur, & is eſt, quem ſcirrhum nominant. Naſcitur, ſi inflammatio neque ab initio reſolvitur, neque exſudando digeritur, neque in pus convertitur, abſceſſumque conſtituit, neque in gangrænam degenerat, ſed, doloris caloriſque ſenſu ſublato, nihil, præter tumorem, ac leviorem ruborem, vel decolorationem, remanet.

Tumores hi, doloris expertes, poſt inflammationem potiſſimum in viſceribus, quæ vocant, parenchymatoſis, partibuſque, glanduloſis, relinquuntur, ſiquidem in his locis circuitus humorum naturaliter languet, calorque raro tantus eſt, ut fermentationi, quæ veram ſuppurationem efficiat, ciendæ par ſit, nec tanta humorum vis, ut vaſa rumpantur, ac gangræna exiſtat, quæ raro in partibus glanduloſis incidit, niſi ſi humor longe acerrimus in ſingularum glandularum vaſis proxime deponitur.

Illud autem ignorare non oportet, pleroſque tumores duros, non dolentes, qui ſcirrhorum nomine a medentibus inſigniuntur, non ab inflammationibus, ſed ab initiis lentis, ſenſimque ſine ſenſu progredientibus, oriri, & ſæpiſſime in carcinomata degenerare.

Quum, membranis nonnullis tenuiſſimis, cuticula, unguibuſque & pilis exceptis, nulla corporis pars ſit, quin fabricæ ipſius vaſa ſanguifera intexta ſint: nulla etiam præter has eſt, in qua inflammatio locum habere non poſſit. Sed eæ partes, quæ ante alias vaſis ſanguiferis abundant, injuriiſque externis, vel rerum irritantium, in aëre, corpora noſtra ambiente, fluctuantium, actioni patent, præ cæteris etiam huic morbo obnoxiæ ſunt, qui non poteſt, quin,

pro partis affectæ natura, uſu, atque neceſſitate, varii generis moleſtias ac pericula importet.

Quod ad diviſionem hujus morborum ordinis attinet, plura, quam duo, genera conſtitui, neceſſe non eſt. Alterum eſt *inflammatio externa*, quæ, quum ad ipſum locum affectum pervenire liceat, medicamentis, extrinſecus impoſitis, curari poteſt: alterum *interna*, in qua præcipuum præſidium ab evacuationibus generalibus, remediiſque internis, petendum eſt.

Sub utroque genere plures ſpecies, & ſub ſingulis ſpeciebus plures varietates ſunt, quas ſuo loco enumerabimus.

CAPUT VII.

Profluviorum theoria, & diviſio in genera.

MULTI fuimus in exponenda febrium atque inflammationum theoria: in ea autem, quæ ad profluvia ſpectat, brevioribus eſſe nobis licebit.

Sanguis, humoreſque inde ſeparati, e vaſis, vel receptaculis, ad ipſos continendos fabricatis, elabuntur, quotieſcumque humoris pondus, vel vis, illum adurgens, eo uſque increſcit, ut is vaſis, vel receptaculi, tunicas perfringat, vel ſphincterum, qui ductuum excernentium, ac meatuum naturalium, oſcula conſtringunt, robur nativum exſuperet. Elabuntur quoque, quotieſcumque ſolidus harum tunicarum contextus adeo laxatur, vel ſphincterum vis conſtringens adeo debilitatur, ut minus firmitudinis ac roboris habeant, quam ad reſiſtendum humorum irruentium ponderi atque impetui neceſſarium eſt.

Duos itaque profluviorum morboſorum fontes eſſe apparet. Unum exceſſus in partibus contentis, alte-

rum defectus in partibus continentibus conſtituit.

Omnia profluvia, quibus longius accedit tempus, quæque ita ingraveſcunt, ut pro morboſis habenda ſint, ab ambobus oriuntur fontibus, hoc eſt, ſimul & humorum momentum augetur, & partium ſolidarum robur minuitur, ita, ut, quemadmodum in inflammatione, ſic hîc quoque, morbum, tamquam ex conjuncta duarum cauſarum actione dependentem, ſpectari oporteat.

Interdum vero valentior cauſa eſt momentum humorum auctum: alias contextus ſolidus tunicarum vaſorum imminutus, vel ſphincterum vis conſtringens debilitata.

Quæ humorum, per vaſa circumeuntium, momento aucto maxime tribuenda ſunt profluvia, *activa* nominantur: ea vero, quæ evidentius a ſphincteribus debilitatis, vel a ſubſtantiæ ſolidæ continuitate ſoluta, proficiſcuntur, *paſſiva* appellantur.

Perſæpe motus intentio non per totam ſyſtematis vaſcularis univerſitatem extenditur, ſed in ſingulis vaſis ſanguiferis, ductibuſve excernentibus, ſubſiſtit, tuncque non aliunde, quam a motu oſcillante, in his locis aucto, repetenda eſt. Hîc vero, ſive ſanguinis, ſive humorum, inde ſecretorum, evacuatio modica eſt, neque cum magna moleſtia, aut præſenti cum periculo, conjuncta.

At ſi motus per univerſum ſyſtema vaſculare plus minuſve intenditur, morbus magis minuſve periculoſus atque terribilis evadit.

Omnia profluvia, quæ motus, per univerſum ſyſtema vaſculare intentus, comitatur, vel concitat, perinde, ut febres, a peripheriæ ſyſtematis vaſcularis ſtrictura ſpaſmodica incipiunt: unde frigoris nimii ſenſus, nauſea, & præcordiorum oppreſſio, oriuntur, quibus paulo poſt calor immodicus, ſitis, agrypnia, nec parum ſæpe dolor, accedunt.

Si, quod ſequitur, profluvium univerſæ materiæ

noxiæ, quæ ſtricturam ſpaſmodicam primum effecerat, auferendæ ſufficit, moleſta illa ſymptomata brevi conquieſcunt, ægerque ſanitati reſtituitur. Quare etiam hoc profluviorum genus in curandis morbis ſæpe numero quam maxime ſalutare obſervamus.

Sin autem materia morbifica hac ratione non evacuatur, ſed tanta ejus copia in corpore remanet, quæ irritationi, non modo late per ſyſtema vaſculare, ſed pariter quoque in ſingulis illis vaſis, ductibuſve excernentibus, unde ſanguis, vel humores, deſcendunt, fovendæ ſufficiat, tum morbus continuatur, variaque ingruunt ſymptomata adventicia, donec tandem, robore animali penitus exhauſto, vita evacuationi ſuccumbat.

Illa profluvia, quæ motus, per univerſum humorum circumeuntium ſyſtema incitatus, non comitatur, (id quod ſemper ex pulſus tranquillitate, ſymptomatumque, febrem diſtinguentium, abſentia, ſcire licet) quæque a motu oſcillante, in ſingulis tantum vaſorum ſeriebus aucto, proficiſcuntur, ſemper a materia quadam acri, proxime admota, concitantur, quæ contextum ſolidorum vel irritat, vel rodit.

Profluviorum cauſas proximas ſi cum iis, quæ inflammationem generant, comparemus, ſtatim intelligemus, unde fiat, ut omnia illa, quæ activa nominantur, inflammatio quædam, nunc gravior, nunc levior, præcedat, vel comitetur. Neque etiam obſcurum eſſe nobis poteſt, quomodo evacuationes, per quas merus initio ſanguis, vel mera limpha, egeritur, paucis poſt diebus pus exhibeant.

Profluvia, quæ in præſenti, tamquam tertium morborum univerſalium ordinem conſtituentia, conſideramus, ea ſunt, in quibus debilitas, nauſea, dolor, vel aliud quoddam ex quindecim illis ſymptomatibus generalibus, prævalet. Cætera, minus ter-

ribilia, minuſque periculoſa, in quibus evacuatio præcipuam morbi partem conſtituit, morborum particularium, ſive topicorum, claſſi adſcribenda ſunt, quartoque ordine, qui ſingularum ſecretionum atque excretionum morbos complectitur, continentur.

Ordo profluviorum tria habet genera, 1) *profluvia alvi*, 2) *profluvia ſanguinis*, ſive hæmorrhagias, 3) *profluvia humorum, a ſanguine ſeparatorum.*

Ad alvi profluvia omnes illæ evacuationes morboſæ pertinent, quæ a canali cibali oriuntur, fæceſque & excrementa, cum variis humoribus, atque interdum cum ſanguine, permixta, effundunt.

Sub altero profluviorum genere omnes illæ ſanguinis evacuationes ſunt, quæ a meatibus naturalibus proficiſcuntur. Vulnerum enim hæmorrhagias illuc referre non placet.

Tertium profluviorum genus illos continet morbos, in quibus humores, a ſanguine ſeparati, præter naturam excernuntur. Sed, ſi *ephidroſin*, ſive ſudorem, quem colliquantem vocant, & *diabeten*, ſive immodicam urinæ profuſionem, excipias, nulla huic generi ſubjecta eſt ſpecies, quam in morborum univerſalium claſſe commode reponere liceat, ſed omnes claſſi ſecundæ, ejuſque ordini quarto, adſcribendæ ſunt.

CAPUT VIII.

Dolorum ſpaſmorumque theoria generalis, & diviſio in genera.

IN tribus illis, qui præceſſerunt, ordinibus, ſyſtematis vaſcularis perturbatio manifeſte præcipuam morbi partem conſtituit, atque idcirco eorum origi-

nem ac progreſſum aliquatenus explicare potuimus. Sed in trium, quæ ſequentur, ordinum explicatione, valde veremur, ut Lectorum deſiderio ſatisfacturi ſimus, quum morborum, illis contentorum, pars maxima ſymptomatibus mere nervoſis conſtet.

Quæ ſymptomata mere nervoſa quum ſæpius a συμπαθείᾳ oriantur, magna ſane vis, magnumque momentum ad morbos iſtos felicius curandos in eo ſitum foret, ſi ſemper diſcernere nobis liceret, utrum idiopathici, an ſympathici tantum, ſint. Sed, quod valde dolendum eſt, curanti perraro tam felici eſſe contingit, ut hoc dijudicare poſſit.

HOFMANNUS & WHYTTIUS, præter cæteros ſcriptores, nexus ſympathicos ſumma cum attentione obſervarunt, atque hoc nomine nunquam ſatis commendari poſſunt: prior quidem in *Syſtemate medicinæ rationalis*, *Cap. de conſenſu partium nervoſarum generatim*, *& ſigillatim cum ventriculo*; poſterior ab initio libri *de morbis nervorum*. Utriuſque obſervationes utiliſſimæ ſunt ad explicandam naturam, indicandamque optimam curationem, morborum ſyſtematis nervoſi, maxime dolorum & ſpaſmorum: quos ordines deinceps contemplabimur.

DOLORES.

In quarto morborum univerſalium ordine præcipuum ſymptoma dolor eſt, ſed ita, ut neque febris conſtans, neque evacuatio notabilis, neque ſpaſmus evidens, neque inflammatio vera, accedat. Quas quidem exceptiones niſi interponamus, plures febrium ſpecies, dyſenteriam, tetanum, & omne inflammationum genus, cum cephalalgia, colica, arthritide, ac rheumatiſmo, confundemus, atque ita tale diviſionis ſchema ſyſtematicum exhibebimus, quod in artis exercitio nullum uſum præſtet. Id enim in primis adlaborandum eſt, ut, quorum morborum

curationes

curationes propemodum ſimiles ſunt, eos eidem, quantum fieri poteſt, conſpectui ſubjiciamus.

Quum ſymptomatis præcipui, per ſe ſpectati, theoriam ſupra jam dederimus, proximamque ejus cauſam explicuerimus, nihil hoc loco ſupereſt, quam ut cauſas remotas morborum iſtorum inveſtigemus, in quibus dolor potiſſimam moleſtiæ partem efficit.

Flatus & acria pro præcipuis dolorum fontibus habenda ſunt.

Vapores illi elaſtici, ſive flatus, qui ſæpe in hominibus valetudinariis obſervantur, primam originem a cruditate, ſive concoctione ciborum vitiata, trahere videntur. Aër alimentorum, quibus utimur, ſub fermentatione in canali cibali expeditus, nec poſtea ad fixi aëris ſtatum, quantum ſatis eſt reductus, ſæpiſſime, dum in ventriculo atque inteſtinis ſubſiſtit, evidens moleſtiæ cauſa eſt: ſed quomodo, poſtea quam ductum thoracicum trajecit, & cum univerſa humorum maſſa ſe commiſcuit, agat, id vero nemo adhuc explicuit.

Flatus, in canali cibali concluſi, fibras ſenſiles, ventriculi atque inteſtinorum tunicis intextas, nimium diſtendendo, varios dolores movent, qui generali nomine colici vocantur, nec raro noxæ per συμπάθειαν ad organa remotiora, quibus cum canali cibali nullum eſſe videtur commercium, propagantur. Ac, ſi vulgarem quamdam opinionem ſequaris, aër, cum fluidis, per vaſa circumeuntibus, mixtus, dolorum cauſam conſtituit, fibras ſenſiles variis in locis, ubi ſe expandere ſtatuitur, diſtrahendo: unde, quas vulgo vocant, punctiones, & crampi.

Supra monuimus, quod ad acrium, varios morbos generantium, naturam intimam attineat, noſtram nobis fatendam eſſe ignorantiam. Fruſtra proprietates illorum deſcribere, vel alia ratione ea definire conamur, quam ex morbo, quem proprie efficere ſenſentur. Ita de acri arthritico, rheumatiſmatico,

ſcorbutico, cancroſo, ſyphilitico, loquimur: quæ materiæ ſubtiliores tamquam cauſæ remotæ, ſive poſſibiles, dolorum in diverſis ægrotis ſpectandæ ſunt.

Nonnulla horum acrium in craſſioribus humoribus ineſſe, inde colligere licet, quod, ſi apta medicamina, quæ vocant, alterantia adhibeantur, corrigi atque exſtingui poſſunt: alia contra cum tenuiſſimo illo liquore nerveo ita permixta eſſe ſtatuuntur, ut nullum remedium, quod quidem adhuc cognitum ſit, ad illa penetrare poſſit.

Tertia dolorum cauſa remota ſunt calculi, qui in variis corporis partibus, præſertim in bilis atque urinæ itineribus, naſcuntur, ubi ſæpe, fibras ſenſiles irritando, nimium diſtendendo, vel lacerando, dolores creant, non tantum iis in locis, quæ proxime afficiuntur, ſed etiam in his, quæ aliquanto remotiora ſunt.

Excrementorum quoque, vel alvi fæcum, retentio morborum, quos vehemens dolor diſtinguit, maxime vulgaris cauſa eſt.

Ordo dolorum in ſequentia genera dividi poteſt.

I. Arthritis. Frequens morbus, quem dolor acer, articulis, pedum maxime manuumque, inſidens, diſtinguit. Per intervalla affligit, ſed acceſſiones incertis fere temporibus revertuntur. Acceſſionem plerumque ponderis atque ægritudinis in ventriculo ſenſus præcedit: in ipſo autem vigore morbi, dolori rubor, tumorque partis affectæ, pulſus celer, & calor febrilis, accedunt.

II. Rheumatismus. Æque frequens morbus, ſed non per intervalla affligens. Naſcitur fere a perſpiratione ſuppreſſa, & ab arthritide per ſedem dolorum diſtinguitur, qui ab articulis ſecundum tractum muſculorum porriguntur, carnibuſque inſidere videntur. Genua, coxæ, lumbi, humeri, ea ſunt loca, in quibus vehementiores dolores rheumatiſmatici ſentiuntur. Tumor ruborque partis affectæ

minus conſpicuus eſt, quam in arthritide, neque ventriculi moleſtiæ præcedunt. Fere vero gravior accedit febris.

III. OSTEOCOPUS. Morbum rariorem dolores, profunde, quaſi in medio oſſium, ſiti, diſtinguunt.

IV. CAPITIS DOLOR. Cujus tres ſunt ſpecies, una *cephalalgia*, altera *cephalæa*, tertia *hemicrania*.

V. ODONTALGIA, ſive *dentium dolor*. A variis cauſis naſcitur, variaſque habet ſpecies, ſimiliter, atque

VI. OTALGIA, ſive *aurium dolor*.

VII. PLEURODYNE. Hanc diſtinguit dolor vehemens in variis thoracis locis, ſine ſymptomatibus, inflammationi propriis, hoc eſt, ſine calore febrili, pulſuque celeri ac forti.

VIII. VENTRICULI DOLOR. Sub quo tres ſpecies ſunt, 1) *cardialgia*, 2) *gaſtrodynia*, 3) *pyroſis*.

IX. COLICA. Hanc diſtinguit dolor acer, variis abdominis locis inſidens, cum alvo obſtructa. Plures hujus ſunt ſpecies.

X. LITHIASIS, vulgo *calculus*. Cognoſcitur ex ſede doloris, ad renum, vel veſicæ, regionem relata. Diſtinguendæ inſerviunt, quæ in urina apparent, ſanguis, mucus, ſabulum, pus.

XI. ISCHURIA, ſive *urinæ ſuppreſſio*.

XII. PROCTALGIA. Hanc diſtinguit dolor, ano, ſive imo inteſtino recto, inſidens, qui, ut varias cauſas, ita varias quoque ſpecies habet.

Dolores in univerſum, quamdiu vix amplius, quam nervorum affectiones, ſunt (tales autem ſymptomaticos dolores eſſe ſtatuimus), neque conſpicua aliqua, vel permanens, motuum ſyſtematis vaſcularis perturbatio accedit, quantumvis magna cum moleſtia conjuncti, citam tamen perniciem non afferunt. Toto enim die videmus homines, morbis illis, quos enumeravimus, vehementer laborantes, qui pluribus acceſſionibus feliciter defunguntur, vel,

continenter etiam afflicti, tamen, quominus ad ſenectutem perveniant, non prohibentur.

SPASMI.

Si dolorum theoriam mancam atque obſcuram eſſe in confeſſo eſt: idem de his quoque morbis, quorum præcipuum ſymptoma ſpaſmus conſtituit, largiri debemus.

De præcipui hujus ſymptomatis cauſis proximis Lectores noſtros ad *Lib. II*, *Cap. XV*, remittimus, ubi ſpaſmi, per ſe ſpectati, naturam explicari conati ſumus.

Theoria autem morborum, in quibus hoc ſymptoma prævalet, quemadmodum probabiliter exponi poſſit, nos neſcire, ultro profitemur. In univerſum hi morbi pariter, atque illi, quos dolor diſtinguit, vel a flatibus derivantur, vel a rebus acribus, nervos motores afficientibus, quum e contrario in doloribus nervi ſentientes potiſſimum turbari cenſeantur. Numerantur quoque in cauſis ſpaſmorum remotis corpora ſolida, mechanice agentia, velut oſſium fragmenta, calculi, *&c.* tum excrementa, vel noxia, in corpore, maxime in canali cibali, retenta; vermes denique, variis in locis nidulantes, qui, partes ſenſiles rodendo, nervos per conſenſum afficiunt.

Spaſmos, a rerum, in canali cibali ſubſiſtentium, vi irritante natos, ſi excipias, perpauci ſanabiles ſunt. Sed hi morbi, æque ac dolores, ſæpe numero ægrotos per longum tempus ita exercent, ut vitæ ſpatio nihil demant, ſub hac tamen conditione, ne ſyſtematis vaſcularis motus turbent, ſed ſolos nervos afficiant.

Præcipua genera, ad ſpaſmos primæ claſſis referenda, hæc ſunt:

I. TETANUS. Frequens ac funeſtus eſt hic morbus in regionibus calidis, cognoſciturque ex rigida om-

nium muſculorum contractione, quam vehementes dolorum acceſſiones, & ſpirandi difficultas, comitantur.

II. CATOCHUS. In hoc pariter, atque in tetano, rigida omnium muſculorum contractio eſt, ſed dolorum expers.

III. CAPISTRUM, ſive *ſpaſmus maxillæ inferioris.* Hic morbus hominem interdum ſine ulla cauſa evidente invadit, multo autem ſæpius partium tendinoſarum vulnera ſequitur. Symptoma ejus characteriſticum eſt rigida contractio muſculorum, maxillam inferiorem elevantium.

IV. HYDROPHOBIA. Hæc nonnunquam ad mentis morbos refertur, & tamquam inſaniæ ſpecies conſideratur, propter ſymptoma ipſius characteriſticum, quo ægri nihil omnino liquidi devorare poſſunt, ac vel ad ſolum ipſius conſpectum inexſuperabili horrore contremiſcunt. Sed hæc devorandi difficultas ſpaſmo adſcribenda eſt, & per pleraque cum tetano capiſtroque convenit.

V. CONVULSIO. Vocabulum hoc vulgo adhibetur ad ſignificandas omnes illas morborum ſpecies, in quibus muſculi violentis anomaliſque contractionibus atque relaxationibus præter voluntatem agitantur. Sed hîc eas tantum intelligimus, quæ ab epilepſia nulla re differunt, niſi quod ſenſus ægrorum integri ſunt.

VI. EPILEPSIA. Qui hoc morbo corripiuntur, ſubito concidunt, omnibus ſenſibus interceptis, muſculique univerſi corporis violenter agitantur. Acceſſionum ſpatia a ſexta, vel quarta, horæ parte, ad horam integram, vel duas, porriguntur, eædemque vel incertis, vel certis, temporibus revertuntur, hacque ratione morbus per plures ſæpe annos pergere conſuevit.

VII. ECLAMPSIA. In hac pariter, atque in epilepſia, ſenſus abolentur, ſed morbus per circuitus non redit.

VIII. HIERA NOSOS (ἱερὰ νόσος) ſive *morbus ſacer*. Nomen eſt morbi, qui per annos continuatur, & in perpetua omnium muſculorum agitatione conſiſtit, ſine multo dolore, aut ſenſuum interceptione. Raro occurrit.

Hæc ſunt illa ſpaſmorum genera, quæ in quinto ordine primæ claſſis jure ſibi locum vindicant. Ii ſpaſmi, qui ſingulos tantum muſculos afficiunt, ſingulaſque tantum actiones impediunt, ad morbos particulares, ſive topicos, referendi ſunt.

CAPUT IX.

Debilitates & privationes, earumque genera.

DOLORIBUS & ſpaſmis ordo ſextus opponitur, cujus ſymptomata characteriſtica ſunt ſomnolentia, fibrarum muſcularium relaxatio, atque anæſtheſia.

Horum morborum theoria probabilis æque, ac proxime antecedentium, multis difficultatibus premitur, nec quidquam fere amplius, quam Lectores noſtros illuc remittere poſſumus, ubi ſymptomatum prævalentium cauſas opinatas indicavimus.

Genera, hoc ordine comprehenſa, ſunt:

I. COMA. Morbi, in quibus inexpugnabilis dormiendi neceſſitas inter reliqua ſymptomata eminet, generatim comata appellantur. Diſtinguuntur ab animi defectionibus, corporis calore, qui parum imminuitur, pulſuque, qui plenus ac fortis perſtat. Specierum nomina explicabimus, atque differentias ſpecificas indicabimus, quum ad curationes pervenerimus.

Cauſæ remotæ, ſive contingentes, fere in ſanguinis, vel ſeri, colluvie, cranio incluſa, medullamque cerebri comprimente, atque ita fontem, ex quo

nervi liquorem ſuum animantem repetunt, obſtruente, ponuntur.

II. PARALYSIS. Hoc nomine ii morbi ſignificantur, in quibus vis muſculorum deficit, debilitaſque, febris expers, præcipuum ſymptoma eſt. Aſthenia in hoc morborum genere comitem fere habet anæſtheſiam, quam a defectu, vel inertia, liquoris nervei repetendam eſſe opinantur. Paralyſes ſæpe pluribus comatum, & quibuſdam dolorum, vel ſpaſmorum, ſpeciebus ſuccedunt.

III. SYNCOPE, ſive *animi defectio*. Cognoſcitur ex ſubito atque abſoluto omnium virium lapſu, cui frigus, pallor, pulſuſque aut ſumma debilitas, aut ſuppreſſio, accedunt. Frequentiſſime oritur a profuſis evacuationibus, quæ fluida corporis vitalia exhauriunt, vel a mephitidum vaporibus, qui ſanas eorumdem fluidorum proprietates inexplicabili quadam ratione deſtruunt. Vehementes animi affectus etiam interdum motus vitales interrumpunt. Unde variæ hujus generis ſpecies, variique gradus, emergunt, quibus varia impoſita ſunt nomina.

CAPUT X.

Anhelationes, in genera diviſæ.

GENERALEM anhelationum theoriam hîc tradere ſi vellemus, ea tantum, quæ *Lib. II, Cap. XIII*, dicta ſunt, repeteremus, ſiquidem ibi ſymptomatis diſtinguentis ac prævalentis naturam, cauſas, & effectus, expoſuimus. Quum ſpecies, ad hunc ordinem pertinentes, deſcribemus, de ſingulis aliqua moneri, neceſſe erit: in præſenti autem nihil amplius requiritur, niſi ut genera diſtinguamus, quæ quinque ſunt.

I. Dyspnœa. Difficultas ſpirandi continua, ſine hydrothoracis, aut empyematis, ſignis.

II. Orthopnœa. Subita & ſumma ſpirandi difficultas, ſine ſignis inflammationis pulmonum.

III. Asthma. Summa ſpirandi difficultas, per intervalla rediens.

IV. Hydrothorax, ſive *hydrops pectoris*. Cognoſcitur ex continua ſpirandi difficultate, quæ, ubi ægri ſupini jacent, ingraveſcit. Facies pallet ac turget; manus pedeſque œdema occupat; ſomnus ſubitis pavoribus interpellatur; pulſus intermittit; cor palpitat; urina parce redditur.

V. Empyema. Symptomata, iis, quæ hydrothoracem diſtinguunt, ſimilia, pulmonum inflammationi ſuccedentia, cum febre hectica, pus, in thorace collectum, ſignificant, morbumque, empyematis nomine cognitum, conſtituunt.

CAPUT XI.

Mentis morbi, eorumque genera.

Proximum eſt, ut mentis morbos, hoc eſt, eos, in quibus mentis facultates præcipue turbantur, conſideremus.

Supra obſervavimus, tam arctam eſſe animi corporiſque conjunctionem, ut animus mirifice afficiatur omnibus corporis mutationibus, corpus affectionibus animi variis varie mutetur. Quam cito, exempli gratia, hominem, ſaniſſimo intellectu præditum, liquorum fermentatorum ingurgitatio rationis uſu privat! A liquoribus iſtis corpori mutationes induci, quæ arcana quadam ratione mentis facultates afficiant, dubium non eſt. Proſtant e diverſo exempla, locupletiſſimis teſtimoniis firmata, hominum,

vehementibus animi perturbationibus agitatorum, vel profundioribus meditationibus demerſorum, quorum capilli, ut alias habitus externi mutationes taceamus, colorem mutarunt. Tantum animi affectiones in ſolidorum fluidorumque ſtatu mutando valent! Duos itaque habemus fontes, unde mentis morbi profluunt: unum a parte noſtri materiali, alterum ab immateriali dependentem. Sed quum ipſæ hæ corporis affectiones atque mutationes, quæ pro cauſis materialibus haberi poſſunt, a perſpicaciſſimorum Anatomicorum oculis quam longiſſime remotæ ſint, facile intelligitur, theoriam horum morborum non poſſe non eſſe penitus obſcuram.

Pathologi omnino de motibus inordinatis in ea ſyſtematis nervoſi parte, quæ ſenſuum internorum organa conſtituit, vage loqui, & generalia quædam proponere poſſunt: ſed cognitio noſtra hinc parum, aut omnino nihil, augebitur. Neque, qui in remotarum cauſarum inveſtigatione verſabitur, operæ pretium faciet, niſi illam hoc inſtituat conſilio, ut quemadmodum morbis iſtis occurendum ſit, inde detegat. Ita, ſi varias inſaniæ ſpecies ptyeliſmo, vel ebrietati ſucceſſiſſe cognoveris, eos, qui propter hereditatem, vel corporis conſtitutionem, ad hos morbos procliviores ſunt, monere poteris, ne circumſpectionem atque moderationem in mercurii, & liquorum fermentatorum, uſu negligant. Sed mutationes, quas anatome in hominum inſanorum cerebris reperit, vix aliud, quam curioſorum animos oblectant, nec dum Medicis ad ſtabiliendas feliciores curationes quidquam conferre potuerunt.

Ad eamdem prophylaxin utile eſt ſcire, homines, amori, avaritiæ, vel ſuperſtitioni religioſæ, deditos, ſi animos ſuos vehementibus illis affectibus atque deſideriis, quæ unicuique propria ſunt, in totum mancipari patiantur, facile rationis uſum amittere, idemque accidere ab immoderata lætitia, atque inexſpec-

tata felicitate, ſicut etiam a nimio mærore, & ægritudine, ex damnis gravioribus, ſpeique fruſtrationibus, contracta.

Mentis morbos, qui univerſales nominari poſſunt, & ſub prima horum claſſe ſunt, in plura, quam duo, genera dividi, neceſſe non eſt, quorum unum mania, alterum melancholia conſtituit. Reliqua, a SAUVAGESIO, aliiſque ſcriptoribus ſyſtematicis, diſtincta genera, ad ſecundam claſſem pertinent, atque ad morbos particulares, ſive topicos, referenda ſunt, ut quæ ſingulas tantum mentis facultates, vel ſingulos appetitus, turbent.

I. MANIA. Memoria, imaginatio, atque judicium, confuſa ac perverſa ſunt, affectus & appetitus violenti atque feroces, ægroſque coërceri oportet.

II. MELANCHOLIA. Animi facultates pariter, atque in mania, confuſæ ac perverſæ ſunt, ſed, qui prævalent, affectus in metu & mærore conſiſtunt.

CAPUT XII.

Cachexiæ, ſive morbi humorales, earumque genera.

DEvenimus nunc ad ultimum morborum univerſalium ordinem, hoc eſt, ad eos, in quibus humores craſſiores affecti ſunt, vel ſtagnantes, & præter naturæ modum accumulati, vel a variis acrimoniæ ſpeciebus depravati: unde, præter varias moleſtiæ impotentiæve generalis ſpecies, habitus corporis externus variis tumoribus, macie, decoloratione, exanthematibus, atque exulcerationibus, deformatur.

Theoriam generalem *Lib. II, Cap. XX*, quo cauſas morborum remotas, ſive poſſibiles, explicatas dedimus, invenire licet, ubi, quomodo fluida animalia vel in ſyſtemate cellulari, vel in cavis majoribus,

ſtagnare atque accumulari poſſint, oſtendimus, variaſque illas acrimoniæ ſpecies, quæ ſanguinem vitiant, & partium ſolidarum contextum deſtruunt, indicavimus.

Speciales theorias deinceps proponemus, quum de cura horum morborum ſeorſim agemus: in præſenti genera tantum enumeranda a nobis ac diſtinguenda ſunt.

I. CORPULENTIA, ſive POLYSARCIA, quum olei, a ſanguine ſeparati, atque in cellulis, adipi continendæ accommodatis, ſtagnantis, tanta copia eſt, ut motus ſyſtematis nervoſi & vaſcularis magis minuſve inde impediantur atque interrumpantur, unde languor, debilitas, ſomnolentia, ſpiritus difficultas.

II. HYDROPS, quum aqua vel in telæ celluloſæ interſtitiis, vel in cavo quodam majori, accumulatur, unde debilitas, præcordiorum oppreſſio, ſpirandi difficultas, frigus, pallor, aliaque ſymptomata, quæ pro loco, ubi aqua depoſita eſt, rebuſque, morbo adjunctis, plures ſpecies ac varietates conſtituunt.

III. ICTERUS, ſive AURIGO, quum bilis, itinere ex veſicula fellea in inteſtinum duodenum obſtructo, in ſanguinem refluit, cum eoque per vaſa permeat, & ſerum tingit, unde color flavus, per totam corporis ſuperficiem diffuſus, ac quam plurima ſymptomata moleſta, præſertim nauſea, alvi obſtructio, macies, debilitas, & nonnunquam importunus pruritus.

IV. EMPHYSEMA, quum telæ celluloſæ interſtitia aëre elaſtico, vel a thoracis vulneribus, vel ab aëre ſanguinis expedito, repleta atque diſtenta ſunt. Tumor intentus, elaſticus, preſſuque crepitans, hunc morbum ſatis ab hydrope diſtinguit.

V. TYMPANITES, quum flatus abdomen in tumorem attollunt. Tumoris levitas atque tenſio, & fluctuationis defectus, tympaniten abunde diſtinguunt ab aſcite, vel a

VI. PHYSCONIA, quam tumor abdominis durus, ab aucta viſcerum mole, conſtituit.

VII. ATROPHIA, ſive MARASMUS, quum corpus emaciatur, nullo ſymptomate febrili accedente.

VIII. OSTEOSARCOSIS, quum omnia oſſa remolleſcunt, atque in carnes degenerant.

IX. SARCOSTOSIS, quum omnes carnes indureſcunt, atque in oſſa degenerant.

X. MORTIFICATIO, quum humores in ſingulis partibus adeo vitiati ſunt, ut circuitus ipſorum ceſſet, ac ſolida corrodantur, vel conſumantur.

XI. SCORBUTUS, qui morbus in frigidis maxime humidiſque regionibus inter nautas & milites præſidiarios dominatur, utpote maximam partem carnibus, piſcibuſve, ſale conditis, veſci coactos, vegetabiliumque recentium, juſta proportione adjiciendorum, inopia laborantes. Præcipua ejus ſymptomata ſunt facies tumida & turgida, virium dejectio, gingivæ putridæ, præcordiorum conſtrictorum ſenſus, ab exercitatione ſpirandi difficultas, maculæque lividæ, vel fuſcæ, per cutem diſperſæ.

XII. SCROFULA, qui morbus a glandularum limphaticarum, earum maxime, quæ in cervice ſunt, tumoribus, non dolentibus, incipit, pluribus articulis ſimul intumeſcentibus. Tumores iſti tandem dolent, in pus vertuntur, atque humorem blandum, coagulatum, effundunt; corpus macie extabeſcit, nec raro febris hectica accedit.

XIII. CANCER, ſub quo morbo tumores duri in variis corporis partibus, ſed in labiis fere mammiſve, apparent, qui exquiſitiſſimos dolores movent, tandemque exulcerantur, ex quibus ulceribus ſanies acerrima & peſtilentiſſima, carnes exedens, oſſibuſque vicinis cariem inducens, exit.

XIV. SYPHILIS, ſive LUES VENEREA, morbus maxime vulgaris, qui per contagionem propagatur, atque ex impuro concubitu naſcitur. Præcipua ejus ſymp-

tomata ſunt ulcera, quæ initio fere in partibus genitalibus, tum in tonſillis, fiunt, exanthemata ſcabioſa cuprei coloris, per faciem, præſertim prope capillos, aliaſque corporis partes, diſperſa, cum doloribus oſſium nocturnis.

Hæc ſunt illa cachexiæ genera, quæ ad morbos univerſales referri debent, quia maximam eorum partem eminentior dolor, debilitas, vel aliud quoddam ex quindecim illis ſymptomatibus generalibus, comitatur. Reliqui, corporis ſuperficiem obſidentes, morbi tamquam topici conſiderandi ſunt, adeoque in claſſis ſecundæ ordine ſexto includuntur.

Antequam ad enumeranda morborum topicorum genera progrediamur, alienum non erit tabulam ſubjicere, quæ genera, hactenus recenſita, exhibeat.

GENERA MORBORUM UNIVERSALIUM.

Ordo I. *Febres.*

1. Febris continua.
2. Febris intermittens.
3. Febris remittens.
4. Febris exanthematica.
5. Febris hectica.

Ordo II. *Inflammationes.*

6. Inflammationes externæ.
7. Inflammationes internæ.

Ordo III. *Profluvia.*

8. Profluvia alvi.
9. Profluvia ſanguinis, ſive *hæmorrhagiæ.*
10. Profluvia humorum, a ſanguine ſeparatorum.

Ordo IV. *Dolores.*

11. Arthritis.
12. Rheumatiſmus.
13. Oſteocopus.

14. Capitis dolor.
15. Odontalgia.
16. Otalgia.
17. Pleurodyne.
18. Ventriculi dolor.
19. Colica.
20. Lithiaſis.
21. Iſchuria.
22. Proctalgia.

Ordo V. *Spaſmi.*

23. Tetanus.
24. Catochus.
25. Capiſtrum.
26. Hydrophobia.
27. Convulſio.
28. Epilepſia.
29. Eclampſia.
30. Hiera noſos.

Ordo VI. *Debilitates & privationes.*

31. Coma.
32. Paralyſis.
33. Syncope, ſive *animi defectio.*

Ordo VII. *Anhelationes.*

34. Dyſpnœa.
35. Orthopnœa.
36. Aſthma.
37. Hydrothorax.
38. Empyema.

Ordo VIII. *Mentis morbi.*

39. Mania.
40. Melancholia.

Ordo IX. *Cathexiæ*, ſive *morbi humorales.*

41. Corpulentia, ſive *polyſarcia.*
42. Hydrops.
43. Icterus, ſive *aurigo.*
44. Emphyſema.
45. Tympanites.

46. Phyſconia.
47. Atrophia, ſive *maraſmus.*
48. Oſteoſarcoſis.
49. Sarcoſtoſis.
50. Mortificatio.
51. Scorbutus.
52. Scrofula.
53. Cancer.
54. Syphilis, ſive *lues venerea.*

CAPUT XIII.

Ordines morborum topicorum, in genera diviſi, horumque deſcriptiones.

MOrbis univerſalibus generatim perluſtratis, ad illorum contemplationem progredimur, qui ab eminentiori quodam ſymptomate topico nominantur atque diſtinguuntur.

Supra obſervavimus, ad morbum, ſignificatione ſtrictiore dictum, conſtituendum requiri, ut unum quodpiam, vel plura, ex quindecim illis ſymptomatibus generalibus certa proportione in partium ipſius complexum ingrediantur, ſed in morbis tamen topicis non eo gradu, ut vitium topicum obſcurent. Hoc enim characterem illorum diſtinguentem exhibet, iiſque in claſſe ſecunda locum vindicat.

Ex quo patet, morbos topicos cognoſci non poſſe, niſi fabricam uſumque partis affectæ, una cum quindecim illorum ſymptomatum generalium natura, cauſis, atque effectibus, ante cognoveris.

Quum fabricam uſumque ſingulorum organorum a Lectoribus noſtris haud ignorari ponamus, ſymptomatumque generalium theorias ſupra exhibuerimus, ad novas diſquiſitiones nos accingi, neceſſe non eſt,

quum vix aliud nunc requiratur, quam ut genera, octo illos morborum topicorum ordines componentia, deſcribamus.

(I.) Primus ordo morbos ſingulorum ſenſuum internorum comprehendit, atque in tria genera dividitur.

I. AMNESIA, ſive *memoriæ defectus*, qui morbus interdum quibuſdam febrium, vel comatum, ſpeciebus ſuccedit.

II. HYPOCHONDRIASIS, quæ vulgo vaporum nomine inſignitur, atque imaginationis morbus eſt, quo qui laborant, de variis moleſtiis conqueruntur, quibus nulla, neque motuum vitalium perturbatio, neque conſpicua habitus externi mutatio, reſpondet. Flatus, agrypnia, animuſque dejectus & anxius, præcipua atque frequentiſſima morbi hujus ſymptomata ſunt.

HYSTERIAM nonnulli ſcriptores tamquam genus conſiderant, pro eodem illam morbo in feminis, qui hypochondriaſis in maribus eſt, habentes. Minus proprie. Temperamentum enim hyſtericum, quod hyperæſtheſia cum magna contextus ſolidi debilitate conſtituit, ingenti ſymptomatum morborumque varietati characterem atque appellationem diſtinguentem impertitur.

III. AMENTIA, rationis defectus, ſive privatio facultatis judicandi. Hoc morborum genus æque, atque amneſia, interdum quibuſdam febrium, vel comatum, ſpeciebus ſuccedit.

(II.) Alter morborum topicorum ordo morbos ſingulorum ſenſuum externorum complectitur, atque in ſequentia genera diduci poteſt:

I. CÆCITAS. Varii hujus gradus ſunt, qui nonnunquam ab externis palpebrarum, oculique tunicarum, vitiis, alias a cauſis internis, nervos opticos afficientibus, humorumve pelluciditatem tollentibus, proficiſcuntur: unde ingens ſpecierum numerus, quas

Medici

Medici ocularii peculiaribus nominibus non ſine oſtentatione diſtinguere conſuerunt.

II. VISUS VITIATUS, qui myopiam, presbytiam, ſuffuſionem, photophobiam, vertiginem, aliaſque nonnullas ſpecies, includit.

III. SURDITAS. Hæc æque, ac varii illi cæcitatis gradus, a cauſis vel externis, vel internis, naſcitur. Unde variæ ejus ſpecies.

IV. AUDITUS VITIATUS.

V. ANOSMIA, ſive *odoratus privatio.*

VI. ODORATUS VITIATUS, a narium fauciumve ulceribus non dependens.

VII. AGHEUSTIA, ſive *guſtus privatio.*

VIII. GUSTUS VITIATUS, a febre non dependens.

IX. STUPOR, ſive *tactus privatio*, a totius corporis anæſtheſia non dependens.

(III.) Tertius morborum topicorum ordo morbos ſingulorum appetituum, qui vel imminuti, vel vitiati, vel aboliti, vel præter naturam aucti ſunt, continet, atque ex ſeptem generibus conſtat:

I. ANOREXIA, ſive *appetentia alimentorum ſolidorum ſublata*, a febre, aliove quo morbo univerſali, non dependens. Hæc, uti ſupra monuimus, plurimorum morborum ſymptoma eſt, ſed interdum ſuper omnia reliqua eminet.

II. CYNOREXIA, ſive *fames canina*, in immoderata alimentorum ſolidorum appetentia conſiſtens.

III. PICA, ſive *depravata alimentorum ſolidorum appetentia*, quum ægri iis tantum rebus delectantur, quæ proprie alimenta non ſunt.

IV. POLYDIPSIA, ſive *ſitis nimia*, ſine febre, inflammatione, profluvio, vel hydrope, quibus in morbis polydipſia tantummodo tamquam ſymptoma conſideranda eſt. Sed, ſicut anorexia, ita etiam polydipſia, nonnunquam morbum per ſe conſtituit.

V. SATYRIASIS, ſive *inexplebile coitus deſiderium in maribus.* Notiſſimum hydrophobiæ ſymptoma eſt,

ſed fortaſſe vix unquam morbum per ſe efficit.

VI. NYMPHOMANIA, ſive *furor uterinus*. Inſatiabile coëundi deſiderium in feminis.

VII. ANAPHRODISIA. Impotentia coëundi, & appetitus venerei defectus in maribus, quorum ætas ad hæc munia apta eſt *).

*) Tria ultima genera, ſi Lectoribus noſtris placuerit, ad morbos ſexuales referre licet.

(IV.) Quartus morborum topicorum ordo morbos ſingularum ſecretionum atque excretionum comprehendit, & tum apocenoſes, ſive nimias evacuationes, tum epiſcheſes, ſive ſuppreſſiones, includit. Genera ejus hæc ſunt:

I. EPIPHORA. Cognoſcitur ex lacrimarum ab angulo oculi interno deſtillatione continua, punctorum lacrimalium, vel ductuum, inde ad nares pertinentium, obſtructioni adſcribenda. Quæ obſtructio quum a variis cauſis proficiſcatur, epiphora in varias ſpecies dividitur.

II. CORYZA. Nimia muci ex membrana, nares inveſtiente, ſecretio, cui plerumque ſternutamenta, tuſſis, raucitas, atque interdum capitis dolor, vel gravitas, accedunt.

III. PTYELISMUS. Nimia ſalivæ ſecretio & exſpuitio.

IV. ANACATHARSIS. Nimia ſecretio, vel exſcreatio, materiæ mucoſæ, aut purulentæ, a glandulis membraniſque, laryngem & bronchia inveſtientibus, proficiſcens, quam plerumque tuſſis, nonnunquam ſpirandi difficultas, comitatur.

V. OTORRHŒA. Humorum ex aure interna excretio.

VI. DIARRHŒA. Profluvium alvi, cui inſignis, neque dolor, neque anorexia, neque debilitas, accedit, tamquam morbus topicus conſiderari poteſt.

VII. ENURESIS, ſive *incontinentia urinæ.*

VIII. PYURIA, quum pus cum urina redditur.

IX. DYSURIA, ſive *urinæ difficultas.*

X. CONSTIPATIO, ſive pertinax *alvi obſtructio.*

XI. TENESMUS, ſive frequens & irrita deſidendi cupiditas.

XII. DYSODIA, ſive *ſudor olidus.*

XIII. FLATULENTIA, quum flatus ex canali cibali ſubinde vel eructantur, vel infra exeunt.

XIV. ÆDŒOPSOPHIA, *) quum flatus ex urethra in maribus, ex uteri vagina in feminis, emittuntur.

(V.) Quintus morborum topicorum ordo eos morbos complectitur, qui ſingulas actiones impediunt, vel turbant. Cujus hæc genera ſunt:

I. APHONIA. Suppreſſio vocis, a comate, aut ſyncope, non dependens.

II. MUTITAS, quum vox non in totum ſuppreſſa eſt, ſed ſonos, nihil ſignificantes, edit.

III. PARAPHONIA, ſive tonus vocis depravatus.

IV. DYSPHAGIA. Difficultas manducandi & devorandi, ab aliis cauſis, quam ab inflammatione, naſcens.

V. CAPUT OBSTIPUM. Rigida contractio muſculorum maſtoideorum.

VI. ANGINA. Faucium ſtrangulatio, ſuffocationem minitans, citra inflammationem.

VII. STERNUTATIO.

VIII. SINGULTUS.

IX. TUSSIS.

X. VOMITUS.

XI. PALPITATIO CORDIS.

XII. CHOREA ST. VITI, quum crurum brachiorumque muſculi convelluntur, eæque agitationes

*) Perperam Noſter *ædoſophia*, nec bene SAUVAGESIUS *ædopſophia*. Componitur enim ex αἰδοῖον, *pudendum*, & ψόφος, *crepitus.*

ægrotum motus, ſaltantium motibus non nihil ſimiles, edere cogunt.

XIII. TRISMUS. Convulſio muſculorum maxillæ inferioris, dentium crepitum efficiens.

XIV. NYSTAGMUS. Convulſio palpebrarum.

XV. CRAMPUS. Subita contractio & rigor muſculorum in variis partibus, frequentiſſime in cruribus, cum dolore acutiſſimo.

XVI. SCELOTYRBE. Permanens contractio & rigor muſculorum, crura brachiaque moventium, ad ſcorbuti ſymptomata potius pertinens, quam morbum per ſe conſtituens.

XVII. CONTRACTURA. Singulorum articulorum rigor, a ſpaſmo oriundus.

XVIII. PARALYSIS. Debilitas & relaxatio muſculorum, ſingulos artus moventium.

XIX. ANCYLOSIS. Singulorum articulorum rigor, ab oſſium, cartilaginum, ligamentorumve, vitiis dependens.

XX. GIBBOSITAS. Incurvatio dorſi a coſtis vertebriſque diſtortis, unde plerumque reſpirationis actio quodam modo impeditur.

XXI. LORDOSIS, qua crurum brachiorumve oſſa incurvantur, vel diſtorquentur, eorumque actio impeditur.

XXII. HYDARTHRUS. Tumor articuli aquoſus, quem *tumorem album* vulgo nominant, unde varii claudicationis, vel impotentiæ, gradus.

(VI.) Sextus morborum topicorum ordo noni morborum univerſalium ordinis appendix eſt, omniaque illa vitia ſuperficiaria ac deformitates continet, quibus inſignis dolor, debilitas, nauſea, vel aliud quoddam ex quindecim illis ſymptomatibus generalibus, non accedit. Quum pleraque horum vitiorum manum Chirurgi, vel remedia topica, poſtulent, morbi chirurgici & ſuperficiarii appellati ſunt. Genera hujus ordinis ſunt:

I. TUMOR. Plures ſub hoc genere ſpecies ſunt, quas in curationibus exponemus.

II. EXCRESCENTIA. Tumores intra tegumenta naturalia continentur, cutiſque & cuticulæ contextus ab iis non mutatur: excreſcentiæ autem extra ſuperficiem progerminant, tegumentumque, vel habitum externum, a tegumentis communibus diverſum, habent. Variæ harum ſpecies ſunt.

III. ANEVRYSMA. Dilatatio tunicarum arteriæ, vel ſaccus, a membranis, arteriæ junctis, formatus, hujuſque ſanguine repletus. Facile ex pulſatione cognoſcitur.

IV. VARIX. Dilatatio tunicarum venæ, tumorem inæqualem, nodoſum, exhibens.

V. PAPULÆ. Tubercula rubicunda, vel livida, fere dura, quæ non, niſi difficile, in pus vertuntur. Interdum calent, ac pruriunt, vel dolent: alias frigent, nec dolorem movent. Unde variæ ſpecies.

VI. PHLYCTÆNÆ. Veſiculæ, limpha pellucida, vel tincta, repletæ.

VII. PUSTULÆ. Veſiculæ, ad cutem cum inflammatione rubentes, & pure, aut ſanie, repletæ.

VIII. SCABIES, ſive PSORA. Exanthemata aſpera, ad cutem rubra, nonnunquam quidem etiam alibi, ſed in manibus tamen maxime, erumpentia, interdum ſicciora, interdum humidiora, ex quibus ſanies exit, cutem corrodens, moleſtumque pruritum faciens.

IX. IMPETIGO. Qua voce ſcriptores varias illas puſtularum atque exanthematum ſpecies ſignificant, quæ in variis corporis partibus oriuntur, & *exanthemata ſcorbutica* vulgo appellantur.

X. LEPRA. Exanthemata ſquamoſa, vel ſcabioſa, variæ magnitudinis, interdum arida, alias humidiora, in variis cutis locis naſcuntur, quibus pruritus, aliaque ſymptomata moleſta, accedunt.

XI. ELEPHANTIASIS. Morbus contagione mutuaque ſocietate vicinos contaminans, quem tubercula

dura, in facie prorumpentia, nares exulceratæ, vox rauca, artus infirmi, capilli defluentes, diſtinguunt. Cutis fere craſſa, aſpera, & rugoſa, evadit.

XII. FRAMBÆSIA, vulgo YAVUS. Morbus, contactu, vel concubitu, prehendens, inter Guineæ incolas, atque in India occidentali, perfrequens. Cognoſcitur ex variarum corporis partium ulcerationibus, cum fungis, ſuper cutem eminentibus, rubicundis, mora, vel rubi idæi baccas, ſimilitudine quadam repræſentantibus.

XIII. HERPES. Exulceratio cutis a ſanie acri, in variis corporis partibus ſerpens, cutemque corrodens.

XIV. MACULÆ. Varii coloris variæque magnitudinis ſunt, ſuper cutem non eminent, neque eam exulcerant.

XV. ALOPECIA, ſive *capillorum defluvium.*

XVI. TRICHOMA, ſive PLICA POLONICA. Capilli humore quodam, e capite exeunte, inter ſe implexi atque conglutinati ſunt. Utrum autem vere ſit morbus, an ſoli immunditiei, vel ſuperſtitioni, tribuendus, nondum liquet.

XVI. TINEA. Exanthemata ſcabioſa, interdum pus, aut ſaniem, exſudantia, alias plane ſicca, in toto capite, qua pilis contegitur, oriuntur.

XVII. PHTHIRIASIS. Pediculi in variis corporis partibus turmatim ſub epidermide naſcuntur, & prorumpunt.

(VII.) Septimus morborum topicorum ordo ectopias comprehendit, ſive eos morbos, qui in partium organicarum, ſive durarum, ſive mollium, ſitu nexuque naturali mutato conſiſtunt. Cujus tria ſunt genera.

I. HERNIA. Quo vocabulo omnes illos tumores denotamus, qui ab omento, ventriculo, inteſtinis, veſica, aliiſque abdominis viſceribus, protruſis, vel prolapſis, ita efficiuntur, ut partes tegumentis communibus incluſæ maneant.

II. PROLAPSIO, ſive PROCIDENTIA, quum pars aliqua nuda, ſine cutis atque epidermidis, munimento, protruditur, vel procidit.

III. LUXATIO, quum caput oſſis extra acetabuli crepidinem elabitur, atque ita os ſede ſua movetur.

(VIII.) Octavus, idemque ultimus, morborum topicorum ordo ſolutiones continuitatis complectitur, ſive ab injuriis externis, ſive ab acrimonia interna, partium ſolidarum contextum rodente, oriundas. Cujus genera hæc ſunt:

I. VULNUS, cui, quum variis modis, cædendo, lacerando, contundendo, pungendo, mordendo, &c. fieri poſſit, variæ ſubjiciuntur ſpecies.

II. ULCUS. Quemadmodum vulnus ſolutio continuitatis in partibus mollibus, ſive carnoſis, recens eſt, ex qua ſanguis exit: ſic ulcus eſt ſolutio continuitatis in iiſdem partibus vetuſtior, ex qua pus, aut ſanies, fertur. Varia, quæ ulceribus accedunt, varias ipſorum ſpecies conſtituunt.

III. FISSURA, ſive RHAGAS. Solutio continuitatis in partibus mollioribus, dolens, ſicca.

IV. FISTULA. Ulcus altum, anguſtum, calloſum, ex quo pus, aut ſanies, deſcendit.

V. ADUSTIO. Deſtructio contextus partium molliorum ab igne, vel corporibus excalefactis, ſive ſolidis, ſive fluidis.

VI. EXCORIATIO, quum epidermis deteritur, vel deſtruitur.

VII. FRACTURA. Solutio continuitatis oſſium a cauſa externa.

VIII. CARIES. Solutio continuitatis oſſium a cauſis externis rodentibus.

CAPUT XIV.

Genera morborum ſexualium & infantilium.

NIHIL jam ſupereſt, quam ut morbos illos, qui, quod a peculiari partium genitalium fabrica, vel a rebus, alterutri ſexui propriis, dependent, ſexuales vocantur, & hos, qui, quod ſolos infantes exercent, infantilium appellatione inſigniuntur, in ſua diducamus genera.

Quatuor morborum ſexualium ordines ſupra a nobis propoſiti ſunt.

I. MORBI GENERALES, ſexui virili proprii, quibus feminæ obnoxiæ eſſe nequeunt, quique nihilominus ſymptomatum generalium, inter ſe connexorum, concurſus ſunt.

II. MORBI TOPICI, ſexui virili proprii, qui in vaſorum ſpermaticorum, penis, teſticulorum, ſcroti, vitiis conſiſtunt.

III. MORBI GENERALES, virginibus, feminiſque, virum expertis, proprii, qui in ſymptomatibus generalibus conſiſtunt, atque a menſibus, graviditate, puerperio, lactatione, dependent.

IV. MORBI TOPICI, ſexui ſequiori proprii, qui in ovariorum, uteri, vaginæ, oris externi, vitiis conſiſtunt.

MORBI, MARIBUS PROPRII.

Præter *febrem teſticularem*, quæ febris eſt, in tumorem dolentem alterius, vel utriuſque, teſticuli deſinens, & *tabem dorſalem*, quam Veneris immoderatio creat, fereque lumborum dolor ac debilitas, &

ſeminis frequentes profuſiones, vel continua ſtillicidia, comitantur, haud ſcio, an nullus ſit morbus, quem generalem nominare, niholoque minus, tamquam ſexui virili proprium conſiderare liceat. Topici autem morbi, maribus proprii, ſunt:

I. DYSPERMATISMUS. Seminis emittendi difficultas, vel impotentia.

II. GONORRHŒA SIMPLEX.

III. GONORRHŒA VIRULENTA.

IV. PRIAPISMUS, cujus ſpecies *gonorrhœa*, quam vocant, *chordata* eſt.

V. PHIMOSIS.

VI. PARAPHIMOSIS.

VII. ŒDEMA CRYSTALLINUM.

VIII. HERNIA HUMORALIS, ſive *teſtium inflammatio.*

IX. HYDROCELE.

X. SARCOCELE.

XI. CIRSOCELE.

Quum hæc vocabula jam explicata ſint, Lectores noſtros iterandis iis, quæ diximus, morari nolumus, ſed ad

MORBOS, FEMINIS PROPRIOS,

in genera ſua digerendos, progredimur.

Morbi generales, feminis proprii, ſunt:

I. AMENORRHŒA. Defectus, vel ſuppreſſio menſium, unde varia ſymptomata, ſupra a nobis expoſita, oriuntur.

II. CHLOROSIS. Frequens morbus in virginibus, vitam ſedentariam agentibus. Ægrotæ emaceſcunt, facies tamen plena apparet, quamvis palleat & turgeat; robur deficit; a leviſſimo corporis motu cor palpitat, ſpirituſque difficulter trahitur; cibos aut averſantur, aut acria ac terrena appetunt, quæ corpus nutrire non poſſunt.

III. MENORRHAGIA. Menſium profluvium nimis copioſum, aut nimis frequens, debilitatem, maciem, pallorem, lumborum dolorem, frigus, anorexiam, inducens.

IV. LEUCORRHŒA, quem *fluorem album* vulgo nominant. Humorum, colore, firmitate, acrimoniaque differentium, ex utero & vagina profuſio. Symptomata, iis, quæ menorrhagiæ ſuccedunt, ſimilia, inde conſequi poſſunt.

V. HYSTERALGIA. Uteri dolor, cum ponderis, deorſum trahentis, ſenſu conjunctus; quod genus, ſicut a variis cauſis oriri poteſt, ita varias quoque ſpecies habet.

VI. GRAVIDITAS. Feminas teneriores, ventrem ferentes, tot ſymptomata exercent, ut graviditas merito pro morbi genere habeatur.

VII. ABORTUS. Abortio, ſive fetus immaturi partio, ſemper tamquam morbus conſideranda eſt.

VIII. DYSTOCIA, ſive *partus difficilis*. Nixus laborioſi, quum a ſtatu naturali deflectant, variaque ſymptomata moleſta iiſdem accedere poſſint, etiam pro morbi genere habendi ſunt.

IX. FEBRIS PUERPERALIS. Quamvis febres, puerperio ſuccedentes, lactiſque proventum comitantes, leves fere ſint, ac periculo vacent: nonnunquam tamen malum morem induunt, periculoſæque, vel funeſtæ, evadunt.

X. MASTODYNIA, ſive *mammarum dolor*. Mammæ dolori a variis cauſis, ſed maxime ab inflammatione & cancro, obnoxiæ ſunt.

Morbi topici, feminis proprii, in hæc genera dividuntur:

I. HYDROPS OVARII.

II. SCIRRHUS OVARII. In vivis corporibus hydrops ovarii ab ejuſdem ſcirrho rariſſime diſcerni poteſt, ideoque hi morbi confunduntur, ac fere pro phyſconiæ ſpeciebus habentur.

III. HYDROMETRA, ſive *hydrops uteri*. Interdum cum graviditate conjungitur: alias ſola aqua in uteri cavo concluditur.

IV. PHYSOMETRA. Uteri a flatibus diſtentio.

V. HYSTEROPTOSIS, ſive *uteri prolapſio* & *procidentia*.

VI. PROLAPSIO VAGINÆ.

VII. POLYPUS UTERI, vel VAGINÆ. Caro, tum ex ſuperficie uteri interna, tum e vagina, excreſcens.

MORBI INFANTILES.

Per infantiam canalis cibalis facilius, quam per reliquas ætates, rebus acribus atque noxiis oneratur, id quod febribus, profluviis, & convulſionibus infantum, proprietatem quamdam impertitur, quæ peculiarem attentionem requirit.

Morbi generales, infantibus proprii, ſunt:

I. COLICA MECONIALIS. Tormina infantum recens natorum a meconio retento.

II. COLICA LACTENTIUM. Tormina, cum alvi duritia conjuncta, infantibus, maternum alimentum adhuc trahentibus, familiaria.

III. DIARRHŒA INFANTUM. Alvi profluvium, ab acida ſaburra fere oriundum. Fæces virides ſunt, & coagulatæ, vel fruſtulis intermixtis refertæ.

IV. APHTHÆ. Albas has puſtulas, labiis, linguæ, ac faucibus inſidentes, atque exulcerationis ſpeciem præbentes, ſupra jam deſcripſimus. Infantes mammam detrectant, ſomnoque oppreſſi videntur.

V. ECLAMPSIA INFANTUM. Convulſiones, ab acrimonia, in primis viis hærente, vel a dentitione, proficiſcentes.

VI. ATROPHIA INFANTUM. Venter intumeſcit, artus emaceſcunt, calor hecticus accenditur, & fere mors ſequitur.

VII. RHACHITIS. Artus infirmi evadunt, nec pon-

deri corporis ferendo pares ſunt; articuli tument; oſſa duritiam amittunt, atque incurvantur; caput, cum reliquis partibus comparatum, juſto grandius eſt; fontanella, quam vocant, calvariæ non claditur; ſæpe coſtæ dorſique vertebræ diſtorquentur.

Morbi topici infantum ſunt:

I. ATRESIA, ſive IMPERFORATIO, quum meatus naturales occluſi ſunt:

II. ANCYLOGLOSSUM, quum lingua cum ſubjecta parte juncta eſt.

III. AURIGO INFANTUM.

IV. PURPURA INFANTUM. Utraque ad cutis morbos pertinet, & ſupra deſcripta eſt.

V. CRUSTA LACTEA. Exanthemata ſcabioſa, quæ in capite naſcuntur, atque interdum per faciem ſe diffundunt.

Sequens tabula, morborum topicorum, ſexualium, atque infantilium, ordines & genera ſiſtens, priori, quæ primæ claſſis ordines & genera exhibet, addita, generalem ſtatus morboſi conſpectum repræſentat.

GENERA MORBORUM TOPICORUM.

Ordo I. *Morbi ſenſuum internorum.*

1. Amneſia.
2. Hypochondriaſis.
3. Amentia.

Ordo II. *Morbi ſenſuum externorum.*

4. Cæcitas.
5. Viſus vitiatus.
6. Surditas.
7. Auditus vitiatus.
8. Anoſmia.
9. Odoratus vitiatus.
10. Agheuſtia.

11. Guſtus vitiatus.
12. Stupor.

Ordo III. *Morbi appetituum.*

13. Anorexia.
14. Cynorexia.
15. Pica.
16. Polydipſia.
17. Satyriaſis.
18. Nymphomania.
19. Anaphrodiſia.

Ordo IV. *Morbi ſecretionum & excretionum.*

20. Epiphora.
21. Coryza.
22. Ptyeliſmus.
23. Anacatharſis.
24. Otorrhœa.
25. Diarrhœa.
26. Enureſis.
27. Pyuria.
28. Dyſuria.
29. Conſtipatio.
30. Teneſmus.
31. Dyſodia.
32. Flatulentia.
33. Ædœopſophia.

Ordo V. *Morbi, ſingulas actiones impedientes, vel turbantes.*

34. Aphonia.
35. Mutitas.
36. Paraphonia.
37. Dyſphagia.
38. Caput obſtipum.
39. Angina.
40. Sternutatio.
41. Singultus.
42. Tuſſis.
43. Vomitus.

44. Palpitatio cordis.
45. Chorea St. Viti.
46. Triſmus.
47. Nyſtagmus.
48. Crampus.
49. Scelotyrbe.
50. Contractura.
51. Paralyſis.
52. Ancyloſis.
53. Gibboſitas.
54. Lordoſis.
55. Hydarthrus.

Ordo VI. *Morbi habitus externi.*

56. Tumor.
57. Excreſcentia.
58. Anevryſma.
59. Varix.
60. Papulæ.
61. Phlyctænæ.
62. Puſtulæ.
63. Scabies.
64. Impetigo.
65. Lepra.
66. Elephantiaſis.
67. Frambæſia.
68. Herpes.
69. Maculæ.
70. Alopecia.
71. Trichoma.
72. Tinea.
73. Phthiriaſis.

Ordo VII. *Ectopiæ.*

74. Hernia.
75. Prolapſio.
76. Luxatio.

Ordo VIII. *Solutiones continuitatis.*

77. Vulnus.

78. Ulcus.
79. Fiſſura.
80. Fiſtula.
81. Aduſtio.
82. Excoriatio.
83. Fractura.
84. Caries.

GENERA MORBORUM SEXUALIUM.

Ordo I. *Morbi generales, maribus proprii.*

1. Febris teſticularis.
2. Tabes dorſalis.

Ordo II. *Morbi topici, maribus proprii.*

3. Dyſpermatiſmus.
4. Gonorrhœa ſimplex.
5. Gonorrhœa virulenta.
6. Priapiſmus.
7. Phimoſis.
8. Paraphimoſis.
9. Œdema cryſtallinum.
10. Hernia humoralis.
11. Hydrocele.
12. Sarcocele.
13. Cirſocele.

Ordo III. *Morbi generales, feminis proprii.*

14. Amenorrhœa.
15. Chloroſis.
16. Leucorrhœa.
17. Menorrhagia.
18. Hyſteralgia.
19. Graviditas.
20. Abortus.
21. Dyſtocia.
22. Febris puerperalis.
23. Maſtodynia.

Ordo IV. *Morbi topici, feminis proprii.*

24. Hydrops ovarii.
25. Scirrhus ovarii.
26. Hydrometra.
27. Phyſometra.
28. Hyſteroptoſis.
29. Prolapſio vaginæ.
30. Polypus uteri, vel vaginæ.

GENERA MORBORUM INFANTILIUM.

Ordo I. *Morbi generales infantum.*

1. Colica meconialis.
2. Colica lactentium.
3. Diarrhœa infantum.
4. Aphthæ.
5. Eclampſia infantum.
6. Atrophia infantum.
7. Rhachitis.

Ordo II. *Morbi topici infantum.*

8. Atreſia.
9. Ancylogloſſum.
10. Aurigo infantum.
11. Purpura infantum.
12. Cruſta lactea.

Summa Generum.

Morborum univerſalium	54.
Morborum topicorum	84.
Morborum ſexualium	30.
Morborum infantilium	12.
	180.

Quod ſi morborum univerſalium, topicorum, ſexualium,

ſexualium, atque infantilium, genera computes, atque hanc ſummam cum SAUVAGESII, LINNÆI, & VOGELII ſummis conferas, facile apparebit, numerum illorum a nobis inſigniter eſſe deminutum. SAUVAGESIUS enim trecenta & quindecim, LINNÆUS trecenta & viginti, VOGELIUS quingenta & ſexaginta morborum genera numerat. CULLENII tamen ſummam egreſſi ſumus, ut qui centum & viginti duo tantum morborum genera habeat, iiſque omnes morbos, univerſales, topicos, ſexuales, infantiles, comprehendat.

INTRODUCTIONIS METHODICÆ IN THEORIAM MEDICINÆ

LIBER V.

Semiologia, ſive doctrina ſignorum.

CAPUT I.

De ſignis morborum in univerſum.

ABSOLUTO generali ſtatus morboſi conſpectu, ad eam medicinæ partem nunc progredimur, quæ ſemiologia, ſive doctrina ſignorum, nominatur, methodumque explicat, qua vel de ſtatu morbi præſenti, vel de ejuſdem exitu, judicare poſſimus.

Non rarum eſt, in ſcriptis Medicorum ea, quæ mera ſigna ſunt, cum ſymptomatibus, quæ partem morbi conſtituunt, confundi.

Quamvis omnia ſymptomata ſint ſigna: non omnia tamen ſigna ſunt ſymptomata. Pulſus celer, & urina valde tincta, febris ſigna ſunt; ſed ita, ſi, qui talem pulſum habet, vel talem urinam reddit, eodem tempore ſymptomata febris, calorem immoderatum, ſitim, anorexiam, atque agrypniam, experitur. Niſi omnia hæc ſymptomata, vel pleraque, apparent, pulſus celer, & urina valde tincta, nihil probant, ſiquidem ſæpe numero ſic occurrunt, ut nulla impotentia morboſa, aut moleſtia, ipſis accedat.

Quum ſymptomata ſint partes, ex quibus morbus

conſtat, neceſſaria conſecutione efficitur, ut eadem vera & certa conſtituant ſigna, ita quidem, ut non, niſi in horum ſignorum ſubſidium, pulſus a nobis tangatur, atque urina inſpiciatur. Quod ſi enim pulſum & urinam, ſepoſita ſymptomatum ratione, conſideremus, nunquam inde neque de natura, neque de ſtatu præſenti morbi, judicium ferre poterimus. Exempli gratia, audimus, hominem quemdam acuto, nec locum mutante, lateris dolore infeſtari, qui dum ſpiritus attrahatur, ingraveſcat, cuique tuſſis importuna, calor immoderatus, ſitis, atque agrypnia, accedant. Ex hoc ſymptomatum, inter ſe connexorum, concurſu morbum illum componi novimus, qui pleuritis nominatur. Sine ulla igitur hæſitatione pronuntiamus, hominem illum pleuritide laborare. Sin autem nihil audiamus, niſi pulſum celerem ac plenum, aut urinam valde tinctam eſſe, nunquam, ne probabili quidem ratione, dicere poſſumus, utrum homo ille vere ægrotet, an vehementiore tantum corporis exercitatione ſe excalefecerit.

Signorum alia diagnoſtica ſunt, alia prognoſtica, alia anamneſtica.

Signa diagnoſtica ſtatum morbi præſentem declarant, eique definiendo ac diſtinguendo inſerviunt. Sic calor immoderatus, dolor capitis acutus, ſitis ingens, agrypnia, cum cute ſicca, pulſu ſumme frequenti, pleno, & duro, atque urina valde tincta, febris inflammatoriæ ſigna diagnoſtica ſunt.

Signa prognoſtica ſunt ea, ex quibus mutationes, per morbi decurſum eventuras, præſagire poſſumus. Ita, ſi quis, febre inflammatoria laborans, capitis dolorem vehementius ingraveſcere, aureſque intra ſe ipſas ſonare, conqueratur, noſque oculos cubantis rubentes ac feroces, lotiumque in ſpeciem aquæ pallidum obſervemus, delirium imminens non dubitanter prædicere nobis licet.

Signa anamneſtica ea ſunt, ex quibus dicere poſſumus, quem morbum ægrotus modo paſſus ſit. Ita ſquamoſa cutis ſiccitas, cum oculis lucis impatientibus, tuſſis ſicca importuna, & debilitas, hominem, ſic affectum, morbillis nuper laboraſſe, commonſtrant.

Facile autem intelligitur, in ſignis his anamneſticis perparum momenti ſitum eſſe, etiamſi plus, quam re vera licet, ipſis tribuatur. Diagnoſticorum igitur ac prognoſticorum ſignorum cognitio nobis in primis excolenda eſt.

Præcipua ſigna diagnoſtica totius primæ morborum claſſis ſunt quindecim illa ſymptomata generalia. Ex quibus ſi duo, vel plura inter ſe conjuncta eſſe, & per univerſum morbi decurſum, aut majorem ejus partem, prævalere videas, certus eſſe potes, morbum illum morbis univerſalibus eſſe adnumerandum. Specierum ſigna tum exhibebimus, quum eas ex profeſſo deſcribemus.

Signa diagnoſtica ſecundæ morborum claſſis ex ſymptomatum particularium, ſive topicorum, morbos illos diſtinguentium, variiſque nominibus a parte affecta deſignantium, deſcriptione intelliguntur.

Symptomata igitur genuina morborum ſigna diagnoſtica ſunt: ſed, quum plura illorum neque viſui, neque tactui, ſubjaceant, quidquid de iis cognoſcimus, vel inductioni, vel relationi ægrorum, debetur. Sæpiſſime autem accidit, ut iſti ſymptomata, quibus laborant, diſtincte ſignificare neſciant. Atque hinc artis Magiſtri de methodis quibuſdam cogitarunt, quæ defectum illum ſupplerent, medenteſque ad judicium de ſtatu morborum præſenti ac futuro ferendum idoneos redderent, idque ad motuum animalium ſtatum attendendo. Quo enim hi minus moderati, æquabiles, & liberi ſunt, quam in ſanitate abſoluta eſſe debent, eo gravius ac periculoſius ægrum decumbere, neceſſe eſt.

Motus ſyſtematis nervoſi quum obſervationi plane non pateant, nihil de hac machinæ noſtræ parte aliter cognoſcere poſſumus, quam animadvertendo, quo in ſtatu ſenſuum organa, motuſque voluntarii inſtrumenta, ſint, quæque mutationes in oculis & toto vultus habitu appareant.

At ſyſtematis vaſcularis motus quum evidentes ſint, atque a corde, ut primo motore, dependeant, num generalis humorum circuitus rite peragatur, facile dicere, ac de perturbationis, vel interruptionis, gradu ſatis certo judicare poſſumus, idque pulſum examinando, &, quomodo reſpiratio fiat, obſervando.

CAPUT II.

De ſignis ex pulſu.

COMMUNIS eruditorum opinio adhuc fuit, ut antiquiſſimos Medicos pulſibus obſervandis perparum vacaſſe, eoſque in libris, HIPPOCRATIS nomen præfixum habentibus, non, niſi obiter, commemorari exiſtimarent. Sed ANTONIUS de HAEN, qui Patrem medicinæ ſumma veneratione proſequi videtur, ejuſque honori graviſſimam fieri putat injuriam, niſi tantumdem de pulſibus, ac, qui illum ſecuti ſunt, cognoviſſe ſtatuatur: famigeratus igitur ille Profeſſor Vindobonenſis *Rat. medend. Part. XII, Cap. I*, plus quadraginta loca ex libris HIPPOCRATICIS congeſſit, in quibus pulſuum & pulſationum fit mentio. Num vero ex quadraginta his locis id, quod Vir Cl. probare adlaboravit, plene probare liceat, nos quidem Lectoribus ipſius dijudicandum relinquimus.

ARETÆUS omnino, quemadmodum ex his, quæ

ab ANTONIO de HAEN inde excerpta ſunt, apparet, multum ad pulſuum mutationes attendit. Qui autem HIPPOCRATI hac in re defectus adſcribi poſſunt, eos, pro luxuriantis ingenii ſui exuberatione, cumulatiſſime ſupplevit ipſius commentator, GALENUS, qui infinitas pulſuum diſtinctiones effinxit, quarum pleræque in artis exercitio non occurrunt, atque, etiamſi occurrerent, ex datis tamen ab illo deſcriptionibus cognoſci non poſſent. Idemque prorſus de recentiorum quorumdam auctorum doctrina dici poteſt, qui certas quaſdam pulſuum proprietates eſſe ſibi perſuaſerunt, quæ de morborum progreſſu atque eventu plurima commonſtrent.

Proprietates illæ, quas non, niſi animo attentiſſimo, tactuque ſubtiliſſimo, diſtinguere licet, ex libris quidem diſci non poſſunt: ſed, ſi vere tales pulſus ſunt, quales a SOLANO, BORDEU, eorumque diſcipulis, deſcribuntur, hi, qui ipſos cognoſcere geſtiunt, Medicos illos ad ægrotantium lectos comitari debent, ut ibi doceantur, qua ratione leves illæ pulſuum differentiæ ab his conditionibus, quas reliqui Medici obſervare conſuerunt, diſcernendæ ſint.

Prius vero, quam ex pulſu aliquid concludamus, ſemper, conſiderandum nobis eſt, eum in ſanis, pro ætatis, ſexus, atque conſtitutionis ratione, differre. Ante omnia igitur, ſi fieri poteſt, reperire nos oportet, quæ pulſus ratio in homine ſano ſit, ſiquidem ad hanc, tamquam ad normam aliquam, exigendum eſt, quantum ægrotorum pulſus a ſanorum pulſu recedat.

Conſiderandum quoque eſt, ſyſtema vaſculare non, niſi partem machinæ noſtræ, eſſe. Quamvis itaque pulſus, generalem humorum circuitum perturbatione vacare, renuntiet: hoc tamen nos certos non reddit, in nervoſo etiam ſyſtemate omnia bene ſe habere. Fieri enim poteſt, ut ſumma hujus ataxia ſit, quam

vix, aut ne vix quidem, ex pulſu percipere liceat.

Qui animum ad medicinam faciendam appulerunt, id agere debent, ut pulſuum robur, rationeſque generales, in infantibus, adultis, ſenibus, ac feminis, dum abſoluta ſanitate perfruuntur, ſibi familiares reddant. Singulorum enim pulſus, ſuas quiſque rationes proprias habent.

Hominis, abſoluta ſanitate fruentis, pulſum æquabilem, moderatum & liberum: ægrotantis nonnunquam inæqualem atque intermittentem invenimus, ſpatio, inter ſingulos ictus interpoſito, æque ac robore ictuum, ſubinde variante. Idem interdum in totum deficit, interdum ultra modum velox, alias præter naturam tardus eſt. Nonnunquam robur naturale multum ſuperat: alias infra id ſubſiſtit.

Quæ ex diverſis illis pulſuum conditionibus inferre licet, hæc fere ſunt:

Pulſus inæqualis atque intermittens inſignem ſyſtematis nervoſi perturbationem oſtendit, adeoque pro ſigno terrente habendus eſt, quod ſemper attentionem noſtram excitare, noſque ad peſſima quæque exſpectanda præparare debeat. Periculi tamen gravitas ex iis, quæ inæqualem, vel intermittentem, illum pulſum præceſſerunt, aut comitantur, æſtimanda eſt. Quod ſi enim tales pulſus in fine febrium, quum vires laborantis pæne exhauſtæ ſunt, vel poſt immodicas evacuationes, incidant, ægri ſalus deſperata eſt. Sin autem poſt repentinas tantum animi perturbationes appareant, vel, quod in nonnullis obſervatum eſt, in conſuetudinem quodam modo venerint, non eſt quod magno nos opere terreant.

Pulſus, in totum deficiens, ſi aliquamdiu talis maneat, aut nimiæ ſanguinis, aliorumve humorum, profuſioni ſuccedat, magno ſemper metu terrere nos debet. Si quis, illo deficiente, humorum circuitus adhuc ſentitur, is ſoli contractioni ac dilatationi cor-

dis, ſine magno motus ſubſultantis gradu, tribuendus eſt.

Pulſum celerem & frequentem, ſunt, qui ſeparent, diverſoſque eſſe ſtatuant. Frequentem pulſum dicunt, quando ictuum numerus intra datum temporis ſpatium major eſt: celerem autem, quando ictus cum inſigni rigore fiunt, atque intra minimum, quod concipi poteſt, temporis ſpatium abſolvuntur. Sed talis pulſus durus potius, quam celer, vocandus eſt. Quam ob rem per pulſum durum eum ſignificabimus, cujus ictus tam rigide fiunt, tantamque tunicarum arteriæ tenſionem conjunctam habent, ut durum aliquod corpus digito tangenti ſubjectum eſſe videatur.

Nimia pulſuum celeritas & frequentia, ſyſtema vaſculare inuſitata quadam ratione irritatum eſſe, demonſtrat, vel, quod acria in ſanguine continentur, quæ cor atque arterias ſtimulent, vel, quod cordis ventriculi ſe plene exonerare nequeunt, adeoque in perpetua irritatione ſunt, nunc, ſi ipſi robore, ad contractionem ſufficiente, deſtituuntur, nunc, ſi extremum ſyſtema arterioſum ita conſtrictum atque obſtructum eſt, ut nimius ſanguis circa centrum accumuletur, nunc, ſi ſanguis celerius, copioſiuſve, quam ut a corde recipi poſſit, a peripheria revertitur: id quod ſemper poſt vehementes inſuetaſque corporis exercitationes contingit. Unde ratio patet, cur omnes evacuationes pulſum accelerent. Qui enim ex illis pereunt, imminente morte, incredibilem pulſuum frequentiam exhibent, quoniam cordis vis muſcularis eo uſque debilitata nunc eſt, ut ventriculi ipſius nunquam ſatis exonerare ſe valeant. Nec minus inde perſpicitur, cur, quidquid ſtricturam ſpaſmodicam efficit, neceſſario etiam pulſus celeritatem augeat. Atque ita intelligimus, pulſum celerem a febre ſeparari non poſſe, quamdiu arteriæ in peripheria paulo arctius conſtrictæ manent.

Pulſus frequens & celer, per ſe ſpectatus, non in-

volvit, ſanguinis, per vaſa circumeuntis, vim auctam eſſe, aut datam ſanguinis copiam per majus vaſorum continentium ſpatium dato tempore moveri, quam ante pulſus frequentiam, ultra naturæ modum evectam.

Vis ſanguinis, per vaſa circumeuntis, ſic æſtimanda eſt, ut robur pulſus cum numero ictuum, qui intra datum temporis ſpatium fiunt, multiplicetur. Illuſtrationis gratia, pulſus robur in ſanitate abſoluta numero 4 æquale, ictuum autem, qui intra ſexageſimam horæ partem fiunt, numerum numero 70 parem eſſe ponamus. Quod ſi jam numerum 70 cum numero 4 multiplicemus, efficietur numerus 280. Itaque 280, vim ſanguinis, per vaſa circumeuntis, in ſanitate abſoluta eſſe dicemus.

Ponamus jam, febrem inflammatoriam oriri, ac robur quidem pulſuum ad 5, ictuum autem, qui intra ſexageſimam horæ partem fiunt, numerum ad 112 augeri. Duo hi numeri, inter ſe multiplicati, 560 efficiunt, qui numerus vim ſanguinis, per vaſa circumeuntis, altero tanto majorem, quam ſecundum naturam & in ſanitate, exhibet.

Sed ponamus, ictuum, qui intra ſexageſimam horæ partem fiunt, numerum adhuc 112, pulſuum autem robur dimidia parte minus, quam in ſanitate, eſſe, hoc eſt, a numero 4, ad numerum 2, decreſcere. Quod ſi jam numerum 112 cum numero 2 multiplicemus, efficietur tantum numerus 224, eo, qui vim ſanguinis, per vaſa circumeuntis, in ſanitate exhibet, multo inferior. Videmus itaque, quamvis pulſus tanto frequentior nunc ſit, maſſam tamen ſanguinis tam libere & celeriter non moveri, atque tum movebatur, quum cordis intra ſexageſimam horæ partem contractiones non 112, ſed 70 tantum erant.

Pulſus præter naturam rarus & tardus, cordis, atque ſyſtematis arterioſi, irritabilitatem juſto minorem eſſe, demonſtrat: id quod a maligniore liquoris vitalis

per fibras illas diſtributione proficiſci poteſt. Accidere hoc videtur, quando vaſa, vel ventriculi cerebri, a ſanguine, vel aqua, inundantur, aut cerebrum a calvaria intruſa, vel fracta, comprimitur. Cordis irritabilitas etiam minui, fibrarumque ejus robur debilitari poteſt, quando oleum, gelatina, vel aqua, in telæ celluloſæ interſtitiis accumulantur: id quod in polyſarcia atque hydrope contingit. Par effectus eſt materiæ ſolidæ inertis, nimiis acceſſionibus locupletatæ: id quod in provectæ ætatis hominibus evenire videtur, in quibus, prout ſolida inertia gradatim accreſcunt, ita ſolidorum vivorum motus impediuntur.

Quemadmodum ſola pulſus celeritas ac frequentia ſanguinis, per vaſa circumeuntis, vim auctam non involvit: ſic ſola etiam tarditas, illam imminutam eſſe, non probat. Quare ex eodem principio, quo ibi, hic quoque judicium ferre debemus. Exempli gratia, ſi hominis, ex febre modo convaleſcentis, pulſus tam tardus evadit, ut 56 tantum ictus intra ſexageſimam horæ partem numerentur, ſingulorum autem ictuum, ſive impulſuum, robur tantum eſſe pergit, ut numero 5 par ponendum ſit, ex numero 280, quem numerus 56, cum numero 5 multiplicatus, efficit, perſpicuum eſt, vim ſanguinis, per vaſa circumeuntis, exacte eamdem eſſe, quæ in ſanitate abſoluta fuit, ubi pulſus robur numero 4 æquale, ictuum autem, qui intra ſexageſimam horæ partem fiunt, numerum numero 70 parem poſuimus.

Hinc rationem intelligere poſſumus, cur pulſus validus ac tardus, dum ne inæqualis, debili frequentique ſuccedens, tam bonam ſpem oſtendat, & cur talem pulſum pro certa nota habeamus, criſin febris perfectam fuiſſe, plenamque circuitus humorum æquabilitatem atque libertatem per omnes ſyſtematis arterioſi partes poſtliminio eſſe reſtitutam.

Pulſus validus liquoris nervein cor influxum per om-

nia liberum, muſculique hujus, & univerſi ſyſtematis arterioſi, fibras firmas atque integras, ſanguinem autem, in vaſis contentum, inſigniter denſum, ac partis colorantis divitem, oſtendit. Debilis contra pulſus vim cordis, atque univerſi ſyſtematis vaſcularis, deficientem, propter partium ſolidarum relaxationem, cum ſanguine vappido, tenui, aquoſo, conjunctam, renuntiat.

Duritiam pulſus, morbis quibuſdam, maximeque partium membranacearum inflammationibus, dolores acutos moventibus propriam, a nimia omnium fibrarum motricium tenſione proficiſci ſtatuunt. Pulſus nimium mollis, quum duro contrarius ſit, contrario ſolidorum vivorum ſtatui adſcribendus, nec, niſi tamquam levior pulſus languidi varietas, conſiderandus eſt.

Ex iis, quæ de variis pulſuum conditionibus, ſeorſim ſpectatis, dicta ſunt, facile colligere poſſumus, quid ex variorum pulſuum conſociatione ſequatur. Sic pulſus celer, durus, & validus, cor, atque ſyſtema arterioſum, vehementer irritata, fibrarum motricium univerſitatem maximopere tentam, ac vaſa ſanguine nimium denſo, particuliſque rubris abundante, repleta denotat.

Tantum de pulſu, ad ſtatum morboſum, generatim ſpectatum, relato. Quandoquidem autem in diverſis morborum ſpeciebus ipſe quoque diverſus eſt, quum ad harum deſcriptionem venerimus, plura adhuc de illo a nobis exponi oportebit.

CAPUT III.

De ſignis ex reſpiratione.

QUUM univerſam humorum, per vaſa circumeuntium, maſſam, ex altero cordis ventriculo in alterum progredientem, pulmonum vaſa trajicere, neceſſe ſit: facile intelligitur, ſigna, ex pulſu derivata, ab iis, quæ a reſpiratione repetuntur, confirmari atque corroborari.

Quicumque abſoluta ſanitate perfruuntur, in iis reſpiratio cum levamine ac refectione, partiumque huic actioni inſervientium, motu tam leni fit, ut aſcenſus & deſcenſus coſtarum vix percipiatur, thoracis cavo, per alternam præcipue diaphragmatis, muſculorumque abdominis, relaxationem atque contractionem, alternis vicibus dilatato & coarctato. In ægrotis autem ſæpe reſpirationem valde turbatam atque interruptam obſervamus, ut quæ cum dolore, difficultate, celeritate, ſonitu notabili, conſpicuoque coſtarum motu, peragatur. Omnes iſtæ a reſpiratione ſana aberrationes tamquam ſigna adhibendæ ſunt, ex quibus, quantum generalis humorum circuitus turbatus atque interruptus ſit, judicare nobis liceat. Pulmones enim pro totius corporis, quod ad fabricam vaſcularem attinet, epitome haberi poſſunt, quum ipſi totidem, quot illud, vaſorum ſeries habeant, adeoque pro certo ponere licet, ſanguini, per pulmonum vaſa libere permeanti, expeditum per reliquos etiam canales ſanguiferos tranſitum concedi.

Sanus homo ad quatuor cordis contractiones ſemel tantum reſpirare obſervatur. Reſpiratio igitur ſolito celerior; multum ſanguinem ex corde in arterias pulmonales effundi, demonſtrat: id quod nonnunquam

inde accidit, quod inſolita illius copia a peripheria ad centrum revertitur, quemadmodum ab acriore corporis exercitatione, certiſque quibuſdam animi affectibus, conſtanter & perpetuo fieri ſolet. Hinc ſtricturæ ſpaſmodicæ reſpirationem nunquam non accelerant. Idemque, ubi ſanguinis per pulmones tranſitus quoquo modo interruptus eſt, contingit. Una enim pulmonum dilatatio ſi conſuetæ ſanguinis copiæ liberum per ipſos tranſitum parare non valet, defectum hunc crebrioribus dilatationibus ſuppleri oportet. Ex quo patet, celerem reſpirationem pro ſigno obſtructorum pulmonum haberi poſſe: quæ obſtructiones, uti jam diximus, variæ naturæ ſunt. Acceleratur quoque reſpiratio, ubi, qui ipſi inſerviunt muſculi, maximeque diaphragma, ſpaſmo aliquo agitantur. Atque hoc ſæpe in hyſtericis atque infantibus incidit; in illis quidem a flatibus, aliiſve noxiis, canali cibali incluſis: in his autem a lacte concreto, aliiſve rebus ſtimulantibus, vel opprimentibus.

Reſpiratio laborioſa, ſive difficilis, in qua ſpiritus præter naturam velociter reciprocatur, thorace minus, quam pro capacitate ſua, dilatato, ſanguinis per pulmonum vaſa tranſitum interruptum eſſe ſignificat, vel propter ſtricturam horum vaſorum ſpaſmodicam, vel, ſi lentoris notio admittatur, propter ſanguinem nimis tenacem, per minutos arteriæ pulmonalis fines vix ægreque tranſeuntem. Spirandi difficultas etiam indicare poteſt, partem pulmonum celluloſam aqua, oleo, vel forte terra, oppletam eſſe, atque hinc vaſa, aërifera æque, ac ſanguifera, comprimi, ita quidem, ut illa ab aëre non ſatis diſtendantur, horum autem diametri juſto anguſtiores evadant. Unde, pro majore minoreve materiæ, in pulmonibus accumulatæ, copia, fluidorum, per vaſa circumeuntium, tranſitum magis minuſve interrumpi, neceſſe eſt.

Reſpiratio, cum dolore interno, ſedem non mu-

tante, eodemque valde acuto & moleſto, conjuncta, indicio eſt, membranaceum pulmonum operimentum ac membranas, thoracem inveſtientes, in inflammatione eſſe, vaſis, per has partes diſcurrentibus, ab humorum, in ipſa compulſorum, mole nimium diſtentis, & propemodum diſruptis. Reſpiratio laborioſa, ſummeque difficilis, cum dolore obtuſo, profundius ſito, ac pulſu celeri, ſed debili, conjuncta, ipſam pulmonum ſubſtantiam inflammatione affectam eſſe, denotat.

At ſi dolor, ſpiritus difficultati accedens, in partibus thoracis muſculoſis atque externis eſt, neque in eadem ſede manet, ſed, in modum crampi, nunc huc, nunc illuc, vagatur, pulſuſque inter hæc parum a lege & menſura naturali recedit, affectio aliqua ſpaſmodica, vel acrimonia rheumatiſmatica, ſignificatur, quorum illam, opio ſumpto, levatum, hanc, cantharidibus extrinſecus impoſitis, evocatum iri, probabile eſt.

Reſpiratio velox & difficilis cum ſingultu, vel ſtrepitu in faucibus, conjuncta, ſi aliis ſignis pravis, ut pulſui frequenti ac valde debili, ſudoribus frigidis, anæſtheſiæ, vel ultimæ virium debilitati, accedat, pro nota, imminentem mortem portendente, haberi poteſt.

Quum cauſarum, reſpirationis actionem impedientium, vel turbantium, maxima ſit varietas, pluresque per ſe neque magnam moleſtiam afferant, neque multum periculi minentur, ex ſignis, a ſola reſpiratione derivatis, nunquam aliquid certi inferre poſſumus, ſed ſemper aliorum quoque ſymptomatum, in ægrotis conſpicuorum, rationem habere, omnibuſque rebus inter ſe comparatis, demum juſtas deducere conſequentias debemus. Sic ſæpe hominum, temperatione corporis teneriore ac delicatiore præditorum, reſpirationem cum ſummis moleſtiis conjunctam eſſe videmus a cauſis, ſolos muſculos, huic

ctioni inſervientes, afficientibus, neque ſanguinis per pulmones tranſitum magnopere interrumpentibus, aut turbantibus. Ex quo ſequitur, ut, quamvis talis reſpiratio primo obtutu terribilis ſit, pro magni tamen periculi ſigno haberi non debeat. Quamdiu enim ſanguinis per pulmonum vaſa iter ſatis liberum ſervatur, (id quod ſemper e pulſu cognoſci poteſt) non eſt, quod a reſpiratione difficili mortem denuntiari credas. At ſi reſpirationis difficultas adeo ingraveſcit, ut ſuffocationem minitetur, aliaque ſymptomata, in laborante obvia, pulmones inflammatione affectos, aut muco, oleo, ſanguine, vel puré, infartos atque obrutos demonſtrant, in malis omnino ſignis habenda eſt, nec, niſi peſſima quæque, pertimeſcenda ſunt.

Quum de his morbis, quorum ſymptoma characteriſticum ſpirandi difficultas, eſt, ex profeſſo agemus, illam ſpirandi difficultatem, quæ a pulmonibus infartis naſcitur, ab ea, quæ ſolis nervorum, ad reſpirationis muſculos pernentium, affectionibus tribuenda eſt, accuratius diſtinguemus.

Quemadmodum certæ quædam pulſus proprietates ſunt, a rebus externis, corporiſve habitu, dependentes, ad quas ſemper attendi oportet: ita ſimiliter memores eſſe debemus, reſpirationem quoque, pro varia corporum conſtitutione, itemque pro varia thoracis conformatione, ac propria pulmonum conditione, plurimum variare. Quibus accedunt varii illi effectus, qui a tempeſtatum converſionibus, locorumque mutationibus, exſpectandi ſunt.

CAPUT IV.

De ſignis, ſyſtema nervoſum perturbatum indicantibus.

SENSUM, perceptionem, motumque voluntarium, a ſano nervorum ſtatu dependere, ingens obſervationum atque experimentorum, in animalibus vivis captorum, numerus demonſtravit. Quam ob rem, ſi quando ſenſus externos, animi facultates, aut fibrarum muſcularium vires, imminutas, turbatas, vel interruptas, obſervamus, certi eſſe poſſumus, ſyſtema nervoſum non ex toto recte ſe habere, variaſque illas morboſas aberrationes cum ſenſus, perceptionis, motuſque voluntarii ſtatu ſano & naturali comparantes, habemus, unde moleſtiæ morboſæ, ac periculi modum, atque magnitudinem aliquatenus metiamur. Verbi gratia, homo, febre laborans, vehementer delirat, nec ſomnum capere poteſt. Proximam & delirii, & agrypniæ, cauſam in liquore nerveo, per ſenſuum internorum atque externorum organa juſto abundantius diſtributo, ponimus, adeoque ex duobus his, quæ in ægrotante obſervamus, ſymptomatibus inferimus, ab humorum, per vaſa circumeuntium, vi aucta nimiam ortam eſſe liquoris nervei ſecretionem, tenuemque hanc materiam nimis ubertim ad nervos nunc mitti. Indidemque etiam concludimus, ſi duo iſta ſymptomata violentius ſævire pergant, ægrum in ſummo vitæ periculo verſari, propter inſignem illam liquoris vitalis, ſine cujus juſta copia motus animales perfici non poſſunt, jacturam.

Sin autem idem homo in progreſſu febris ſtupore opprimitur, atque in continuum ſoporem decidit, nervos liquore ſuo non ſatis imbui, eorumque motus ob cerebri vaſa ſanguifera, per continuatum humorum circumeuntium

circumeuntium motum violentum & rapidum nimis diſtenta, vel forte diſrupta, elangueſcere colligimus. Atque hinc iterum ex duobus his ſymptomatibus adventiciis periculum, cubantis vitæ impendens, prædicimus.

Ex eodem principio magnum ſemper periculum in ſpaſmis, cum ſyſtematis vaſcularis perturbatione conjunctis, vel in ſumma corporis debilitate, animive dejectione, ponimus, quibus, in morbo quodam febrili apparentibus, pejora atque terribiliora ſigna eſſe non poſſunt.

Supra diximus, nervos æque in origine ſua in cerebro affici poſſe, atque a rebus noxiis, in ea loca, ubi ſingulæ chordæ terminantur, agentibus, quæ inexplicabili quadam συμπαθείᾳ moleſtiam & perturbationem cum univerſo ſyſtemate nervoſo communicent.

Quum omnium harum perturbationum fons maxime vulgaris acria atque noxia, in canali cibali hærentia, ſint, neque ſyſtema ſolidorum generale, aut maſſa humorum univerſa, incuſari poſſit, utiliſſimum erit, ſigna, rerum iſtarum noxiarum præſentiam & naturam indicantia, obſervare, modoſque aptiſſimos, ac tempora opportuniſſima, eas corrigendi, atque ex corpore eliminandi, proponere.

Signa, ventriculum, inteſtinive duodeni flexum, rebus noxiis, vomitu rejiciendis, oneratum, denotantia, præcipua, ſunt lingua, ſordibus cruſtiſque craſſis obſeſſa, ſapor in ore amarus, acidus, rancidus, vel putridus, nauſea & anorexia, ventriculi os ſiniſtrum ac pars ſuperior dolens, ponderis opprimentis ſenſus circum præcordia, cum hypochondriis plenis, molliterque tumidis, alvus adſtricta, vertigo & capitis dolor, horrores atque extremorum frigus, cum univerſi corporis laſſitudine, ſubitaque aſthenia.

At ſi materia noxia profundius in inteſtinis hæret, & per alvum dejicienda eſt, adſunt fere ventris diſ-

tentio, dolor, ac murmura, dejectiones fœdæ, acres, cum torminibus, lumborum dolor, ad coxas extentus, cum genuum infirmitate, atque obtuſo circa ea dolore.

Generalem ſyſtematis nervoſi ſtatum etiam quodam modo commonſtrant ægrotantis oculi, totuſque vultus: qui quo magis ſpeciei conſuetæ & ſanæ diſſimiles ſunt, eo magis terrere nos debent. Atque hinc magnum ſemper portendit periculum cubantis vultus, ita mutatus, ut ipſi amici eum vix agnoſcant. Qui multum cum ægro verſantur, ſignorum, ab oculis atque univerſi oris lineamentis derivandorum, notitiam ſenſim ſine ſenſu acquirunt. Nunquam autem ea cum aliis alia communicari poteſt ratione, quam mutationes, quales in vultu laborantis quum maxime apparent, indicando.

CAPUT V.

Signa ab exanthematibus, aliiſque corporis externi mutationibus.

UT ſtatum ægrotantium etiamnum exactius cognoſcamus, curioſe nobis attendendum eſt ad exanthemata, decolorationes, aliaſve mutationes, in corporis ſuperficie apparentes; examinandus ſanguis, e vena detractus; inſpicienda, vel ipſi forte analyſi chemicæ ſubjicienda, urina; perluſtranda denique, quæ ex pulmone per ſputa, ex ventriculo per vomitum, ex inteſtinis per dejectiones, excernuntur.

Quum quaſdam exanthematum ſpecies febris vel præcedat, vel comitetur: has ab iis, quæ febre vacant, ſemper diſtingui oportet.

Multa exanthemata febrilia ſpecificæ cujuſdam materiæ morbificæ progenies ſunt, velut variolæ

& morbilli : alia contra a ſanguinis diſſolutione naſcuntur, quam ſola agitationis violentæ caloriſque aucti continuatio effecit, cui fermentum aliquod, ut ita dicam, putrefaciens, vel in corpus per infectionem illatum, vel in eo per victum pravum, alioſve errores, in rebus non naturalibus commiſſos, generatum, ſociam fortaſſis operam præſtat.

Poſteriora exanthemata, quæ purpuræ, ſive petechiarum, nomen vulgo obtinuerunt, varios colores habent, a ſplendido rubore uſque ad livorem, vel tantum non nigrorem. Neque minus varia illorum magnitudo eſt, a maculis exiguis, eas, quæ ex pulicum morſu naſcuntur, referentibus, uſque ad inſignis latitudinis maculas, quæ vibices appellantur.

Exanthemata hæc vix ſuper cutem eminent, raroque, niſi, ubi febri plurium jam dierum ſpatium acceſſit, ægrique vires pæne exhauſtæ ſunt, apparent, neque ullam morbi levationem afferunt.

Cæterorum exanthematum pleraque, quum eruperunt, febrem levare ſolent. Materia quippe noxia, ab humorum, per vaſa circumeuntium, maſſa ſeparata, inter ſolida inertia in tela cutis celluloſa deponitur. Quæ ſi omnis ſeparata eſt, febris conquieſcit, omniaque, ipſam comitantia, ſymptomata moleſta avaneſcunt. Sin autem materiæ noxiæ copia major eſt, quam ut hunc in modum ſeparari poſſit, & quædam illius portio ſanguini immixta remanet, febris, etiamſi exanthemata appareant, non deſinit, ſed continuatur. Atque hoc in deterioris notæ variolis, morbillis, febribuſque, miliari ac ſcarlatina, accidit. Generalia igitur, quæ ab exanthematibus, in febre quadam erumpentibus, peti poſſunt præſagia, hæc ſunt. Exanthemata, in cute apparentia, ſi, quæ febri acceſſerunt ſymptomata, ab iis inſigniter minuuntur, boni ſunt ominis, felicemque morbi exitum prænuntiant. Sin autem ab illorum eruptione ſymptomata febrilia adeo non levantur, ut potius

præcordiorum oppreſſio, debilitas, delirium, &c. ingraveſcant, juſtus metus ſubeſt, ne ſanguinis craſis deſtructa, & ita quidem deſtructa ſit, ut nulla amplius medicina locum inveniat.

Ad cutis decolorationes quod attinet, color ex pallido viridis, cum maculis nigricantibus ſubter oculis, humorum per vaſa circuitum languere, ſanguinemque vappidum atque aquoſum eſſe ſignificat. In femina talis color menſes ſuppreſſos; in mare habitum corporis ſcorbuticum, inteſtinorum debilitatem, pravamque ciborum concoctionem indicat. Temperatura livida, eumdem fere corporis habitum exhibens, evidenti argumento eſt, univerſos humores in putredinem vergere, & ſolidorum vivorum motus nimis remiſſos eſſe atque languidos. Quæ lurida vocatur temperatura, ſive color faciei obſcure nubilus, cum torpore ac gravitate oculorum, certum ſignum eſt, bilem non rite ſecerni. Colore autem in totum flavo ductus communis, vel cyſtici, obſtructio oſtenditur, quæ bilem cyſticam in inteſtinum duodenum exonerari prohibet, atque ita in humorum, per vaſa circumeuntium, maſſam retro agit, quacum ad vaſa, cuti ſubjecta, defertur, in hujuſque tela cellulosa deponitur.

Sudores ſæpe numero ſtatum conditionemque univerſæ humorum maſſæ ſignificant, ut qui interdum, quamvis perraro, acidi ſint, alias putridum odorem prodant. Nonnunquam ſudor rubra ſanguinis parte tinctus eſt: unde colorem ſubflavum, aut etiam rubicundum, ducit.

Humor quoque, qui ex ulceribus exit, de ſtatu fluidorum certiores nos facere poteſt. Si acer & mali odoris eſt, partiumque circumjectarum epidermidem corrodit, inſignis acrimoniæ, vel cancroſæ, vel proxime ad hanc accedentis, teſtimonium perhibet. Si tenuis & cruentus eſt, putridum illum diſſolutumque fluidorum ſtatum, qui ſcorbuticæ indolis eſt,

denotat. Si blandus, ac mali odoris expers eſt, concretuſque apparet, contagionem ſcrofuloſam indicat. Humor, ex ulceribus venereis manans, interdum æque acer & corrodens eſt, atque is, quem cancroſa fundunt, nec facile, niſi morbi progreſſu inveſtigato, omnibuſque ſymptomatibus curioſe inter ſe collatis, diſtingui poteſt.

CAPUT VI.

Signa ex ſanguine.

QUAM ſanguinis examen pollicetur, cognitio tanta non eſt, quantam quis eſſe ſibi perſuadere poſſit. Hominum quippe, evidenter male affectorum, ſanguis ei, qui ex aliorum, ſanitate abſoluta perfruentium, venis detrahitur, ſimillimus eſt: & contra homines, nullo morbo laborantes, ſanguinem a periculoſe decumbentium ſanguine minime diverſum exhibent. Exemplo ſint feminæ gravidæ, quarum ſanguis cruſta craſſa obtegitur, adeoque ei, qui ex pleuriticorum venis mittitur, haud abſimilis eſt.

Quæ quum ita ſint, facile apparet, certam aliquam regulam, ad quam ſana ſanguinis, vel quantitas, vel qualitas, exigatur, conſtitui non poſſe. Neutra enim per ſe æſtimari poteſt: ſed ſemper ad peculiaria momenta, quæ ætatum, ſexuum, atque conſtitutionum varietas affert, reſpiciendum eſt.

Prius autem, quam ſigna, a ſanguinis, ex ægrorum venis detracti, ſpecie derivanda, proponere conemur, in memoriam revocare nobis debemus, qualis, ex hominum, in abſoluta ſanitate conſtitutorum, venis miſſus, appareat.

In univerſum obſervari poteſt, ſanguinem, obſcure rubentem, qui, ſi refrixerit, in ſerum limpidum,

omnis fere coloris expers, & coagulum rubrum, cruſta craſſa, aut alium a cruore ſubjecto colorem habente, non obtectum, ſeparetur, cujuſque tertiam, vel dimidiam circiter partem, ſerum efficiat, bonum ac ſanum, ab omni acrimonia morboſa vacuum, neceſſariaque omnium partium conſtituentium proportione eſſe præditum.

Hinc de ſanguinis a ſtatu ſano aberrationibus judicare licet. Sanguis, ruborem ſplendidum, coccineo colori ſimilem, repræſentans, nec cito in ſerum & coagulum rubrum diſcedens, nimiam ſalium in fluidis abundantiam, corporiſque ad arthritidem, vel exanthemata calida & ſcabioſa, proclivitatem indicat. Talem ſanguinem ſæpe etiam, qui febre hectica laborant, aut victu nimium ſalito, nimiiſve aromatibus condito, utuntur, exhibent.

Ubi ſanguis copioſius, quam pro rata portione, ſerum continet, morbos hydropicos exſpectare oportet. Talis quippe ſanguinis diſſolutio ſyſtematis vaſcularis debilitatem arguit, ob quam ſerum facile in cavis majoribus, vel telæ celluloſæ interſtitiis, deponitur, & ſtagnat, quum vaſorum limphaticorum tonus nunc infirmatus, excretioneſque per cutem imminutæ ſint.

Serum, flavo colore tinctum, bili tranſitum in inteſtinum duodenum non patere, eamque in maſſam humorum generalem retrorſum agi, ſignificat.

Serum ſanguinis rubicundum, aut lividum, magnam fluidorum diſſolutionem ac putrefactionem oſtendit, qualis ſcorbuto, peſſimæque notæ febribus putridis, propria eſt. Pejus etiam eſt, ſi ſerum turbidum, aut totus ſanguis ſordidus, fuſcique coloris eſt, nec coagulum rubrum inde ſeparatur.

Coagulum rubrum, ſpuma vel cruſta ſubalbida, corium referente, contectum, pro certa ſanguinis tenacioris, nec per vaſa, niſi cum majore minoreve difficultate, fluentis, nota adhuc habitum eſt. Quum

igitur ſanguis, ex hominum, inflammationibus correptorum, venis miſſus, cruſtam illam plerumque exhibeat, hoc eorum, qui inflammationes a lentore atque obſtructione derivant, ſententiæ firmandæ eſſe exiſtimarunt. Sed ingenioſiſſimus quidam recentioris ætatis Phyſiologus cruſtæ illius generationem ex principiis prorſus contrariis multo probabilius repetit, ſanguinemque, quamvis e vena detractus, & coagulatus, tenax appareat, per vaſa tamen adhuc manantem, magis, quam ante natam inflammationem, fluidum eſſe aſſerit.

Supra diximus, coagulum rubrum ex particulis colorantibus, cum limpha coagulabili connexis, eſſe concretum. Jam, *arteriis valide agentibus, ſive totus habitus validus, ſive non validus ſit, limpha coagulabilis fluidior eſt, tardiuſque in coagulum abit, adeoque particulas rubras, quæ ponderoſiſſimam ſanguinis partem conſtituunt, prius ad fundum dimittit, quam coaguletur, qua ſeparatione ſpontanea coagulum rubrum in duas partes dividitur: unam ſuperiorem, quæ ex ſolo limphæ coagulabilis coagulo, quod corium hîc appellatur, conſtat; alteram inferiorem, quæ partim ex hoc, partim ex globulis rubris, compoſita eſt.* *)

*) Vid. FORDYCE *Elements of Practice of Phyſick. Part. I, p. 5.*

Corium hoc Medicorum attentionem ſummopere exercuit. Cl. LANGRISH, ſtrenuus lentoris defenſor & propugnator, inſtrumentum quoddam excogitavit, ad hydrometri vulgaris principia confectum, quo variam corii tenacitatem metiretur, atque inde curandi rationem præfiniret. Alii alias ſanguinem examinandi vias ingreſſi ſunt. Quidam eum exſiccarunt, ut ſolidarum partium ad fluidas rationem detegerent: alii pondus ejus ſpecificum explorarunt, quantumque hoc ab aquæ pondere ſpecifico differret, obſervarunt:

alii eum cum varii generis ſalibus, cum aqua, in qua corticem peruviarum decoxerant, cum ſpiritibus ardentibus, &c. commiſcuerunt. Sed omnia hæc experimenta potius delectant, quam proſunt, maximamque partem ex præjudicata quadam theoria, cui ſtabiliendæ auctores operam navarunt, inſtituta ſunt.

CAPUT VII.

Signa ex urina.

QUONIAM corporis humani ſanitas magnam partem a legitima atque ordinata excrementorum ſeparatione & expulſione dependet: horum profecto examen, tum quantitatis, tum qualitatis, ratione habita, æque nobis ad ſtatum corporis cognoſcendum, ac pulſuum obſervatio, ſanguiniſque inſpectio, inſervit.

Urina (excrementum, examinatu facile, cujus mutationes motuum animalium ſtatum pariter, atque fluidorum conditionem, renuntiant) inde ab antiquiſſimis temporibus Medicorum attentionem provocavit.

Antea vero, quam ex ægrotantium urina judicium de morbis ferre liceat, cognoſcenda eſt urinæ, ab hominibus, abſoluta ſanitate perfruentibus, redditæ, conditio, quæ cæterarum quaſi lex ſit & regula. Hanc ipſam autem certam ponere, perdifficile omnino eſt, quum humor iſte, pro ætatis, victus, atque exercitationis varietate, ſemper variare ſoleat. Infantis lotium, cum hominis adulti urina, ob ſalium, olei, terræque abundantiam colorata, grave olente, acri, comparatum, blandum coloriſque expers eſt. Idem fere diſcrimen inter hominis, vitam ſedentariam agentis, corpuſque parum, aut nihil dimoventis, & ejus, qui quotidianos labores duros tolerat, urinam inter-

cedit. Quo magis corpus exercitatur, eo majore ſalium, olei, vel terræ, copia lotium imbuitur.

Neque exigua urinæ varietas a modo potionis, cui quis aſſuetus eſt, dependet. Qui liquida nimis liberaliter ingurgitant, ab iis copioſam urinam tenuem ac pallidam, oleo, terra, ſalibuſve, non admodum ſaturatam, reddi, neceſſe eſt. Aliam prorſus eorum, qui parum bibunt, rationem eſſe, per ſe patet.

Sana urina in univerſum vini Rhenani, vel Olyſſiponenſis, colorem refert, penituſque limpida eſt, nec quidquam in ea ſubſidit. Si qua enim in urina ſubſidunt, ea ſanguinis elementa, aut proportione non æqua, aut non ſatis arcte, inter ſe connexa eſſe, demonſtrant, adeoque defectum quemdam, vel aberrationem quamdam a ſanitate, teſtantur.

Urina limpida, aquoſa, multa, excretionis per cutis meatus, præter naturam imminutæ, index, ac perpetua paroxyſmorum hyſtericorum, vel hypochondriacorum, comes eſt, ubi frigus vehemens, præcordiorum oppreſſio, nec raro acres ſingularum partium, frequentiſſime capitis, vel lumborum, dolores ſentiuntur. Talis urina ſæpius quoque in febribus obſervatur, malique morbi nota eſt, ſiquidem arteriarum minimarum ſtricturam ſpaſmodicam permagnam eſſe ſignificat: unde juſtus metus ſuboritur, ne ſymptomata febrilia ingraveſcant, ægrotuſque brevi in delirium incidat.

Urina pallida, tenuis, limpida, ab his, quorum ſyſtema neque nervoſum, neque vaſculare, perturbatum eſt, reddita, ſanguinem vappidum, aquoſum, motum corporis minus ſufficientem, parteſque ſolidas in univerſum debiles & laxas, ſignificat.

Urina pallida, turbida, organa, digeſtioni inſervientia, juſto robore carere, ſalivam autem, bilem, cæteroſque, ad rem pertinentes, humores, multum de diſſolvendi atque aſſimilandi facultatibus amiſiſſe, commonſtrat: unde chylus crudus & indigeſtus, pri-

mitivas alimentorum, ex quibus confectus eſt, proprietates nimium retinens, in ſanguinem defertur. Quæ in quibus ſunt, quoniam in his primas vias pituita glutinoſa, vermium generationi favens, obſidet: idcirco urinam pallidam, turbidam, pro vermium ſigno habere licet.

Urina rubicunda, vel valde tincta, ſed in qua nihil ſubſidit, corpus, vel exercitatione acriore, vel commotione febrili, nimis excalefactum eſſe, teſtatur. Color enim urinæ ab olei, in ipſa contenti, copia potiſſimum dependere ſtatuitur. Aucta autem circuitus humorum velocitate, perpetuum eſt, plus olei ex cellulis, quibus adeps innatat, reſorberi, adeoque, ſi oleum cum ſanguine proportione non æqua mixtum eſt, urina id neceſſario participat, coloremque intentiorem, quam in hominibus, abſoluta ſanitate fruentibus, induit. Itaque talis urina plerumque in morbis febrilibus apparet, hoc eſt, quamdiu ſtrictura ſpaſmodica perſiſtit. Rebus enim in criſin lætam vertentibus, ac ſanguine ab acribus iſtis, quæ irritationem fovebant, liberato, urina ita oneratur, ut oleum ſaleſque diſſolutos diutius retinere non poſſit, ſed plurimum ſedimenti in matulæ fundo deponat.

Experimenta LANGRISHIANA hanc rem ſatis dilucide explicant. Ex his enim patet, ſi urina hominis ſaniſſimi in 512 partes dividatur, analyſique chemicæ ſubjiciatur, 494 ab aqua, 12 a ſalibus terraque, inter ſe mixtis, 5 a ſalibus ſinceris, 1 tantum ab oleo, effici. Inſigniter autem hæc elementorum proportio diſcrepabat in urina adoleſcentis, febre acuta laborantis, quam delirium, aliaque prava ſymptomata, uſque ad diem octavum comitabantur, quo ſudor moderatus erumpebat, multumque ſedimentum in urina dejiciebatur. Hîc enim ex illis 512 partibus tantum 484 aqua, 12 ſales, cum terra mixti, 11 ſales ſinceri, 3 oleum erant.

Ex hac differentia inter ſani hominis urinam, &

eam, quæ ſub febris deceſſione redditur, evidenter perſpicimus commoda, quæ ab urina ſic onerata, ut copioſum ſedimentum deponat, exſpectare licet. Particulas quippe ſalinas atque oleoſas, quæ, dum in ſanguine remanent, turbatos ſolidorum vivorum motus etiam magis turbant, nunc eliminari, ſtricturam ſpaſmodicam reſolvi, humorumque circuitum libertati & æquabilitati reſtitui, denotat.

Color ſedimenti fluidorum conditionem indicat. Sic ſedimentum flavum bilis in inteſtinum duodenum effuſionem quodammodo interruptam oſtendit.

Sedimentum nigrum, totam humorum univerſitatem in putredinem vergere, ſignificat, ac pro peſſimo habetur ſigno, quum in iis tantum morbis appareat, in quibus acrimonia quædam putrida ſanguinis craſin jam inſigniter diſſolvit.

Magna ſedimenti pallidi, glutinoſi, copia, partium ſolidarum laxitatem, humorumque crudorum & indigeſtorum abundantiam, non in primis ſolum viis, ſed etiam in univerſa fluidorum maſſa, denotat, adeoque, in quocumque morbo apparet, eum longum fore, prænuntiat. Hæc urina ſæpe in febribus intermittentibus conſpicitur. Sed pejus etiam in his ſignum eſt, urinam in acceſſionum intervallis, quamvis valde tinctam, limpidam tamen manere, nec quidquam in ea ſubſidere, ſiquidem probabiliter inde colligere licet, febrem intermittentem in continuam eſſe degeneraturam. Sedimentum, laterum contritorum pulveri ſimile, (latericium vulgo nominant) in hydropicorum urina reperitur, quæ parce reddi conſuevit. Idemque nonnunquam eorum, qui febribus hecticis, vel intermittentibus, laborant, urinæ exibent: ſed in his malus fere morbi exitus ab eo portenditur.

Ubi febris non eſt, & multa tamen in urina ſubſidunt, ſyſtematis cholepoëtici obſtructio ſignificatur.

Si in urinæ ſuperficie quædam pinguia, oleo ſimilia, innatant, ſcire licet, corpus colliqueſcere.

Quum enim ab oleo, in telæ cellulosæ interstitiis deposito, gratus ille corporis nitor, carniumque plenitudo, dependeat, necessarium est, ut, si illud præter naturam resorbeatur, aut in sanguine retineatur, nec inde separetur, atque in tela cellulosa deponatur, corpus concidat.

Multa materia terrena, vasis, lotium continentis, lateribus adhærescens, vel ad fundum subsidens, lithiasin, vel corporis ad calculos generandos proclivitatem, arguit, magisque, si sabulum, vel arenulæ, in sedimento sunt.

Parvæ crystalli salis subfusci, in urinæ superficie collectæ, vel matulæ lateribus adhærentes, acrimoniam arthriticam, vel rheumatismaticam, indicant, ac sæpe in febribus, quibus rheumatismus se associat, observantur.

Pus, urinæ permixtum, renum, vesicæ, vel glandulæ prostatæ, exulcerationem denotat.

Multus mucus glutinosus, cum urina excretus, superficiem vesicæ internam a calculo, aliave qua re lædente, vehementer irritari, ostendit.

Urina sanguinolenta calculi asperi atque inæqualis index est: sed oriri pariter potest a sanguinis crasi dissoluta, vel a vasis renum sanguiferis relaxatis, aut casu quodam violento disruptis, sive ictus aliquis est, sive ex alto cecidit, sive grave onus levavit. Utrum urina, eatenus rubens, ut sanguinis colorem referat, sanguinem vere admixtum habeat, nec ne, facile dignosci potest, si linteum ei immergas, quod genuinum colorem illico prodit, vel si illam in vitro calefacias. Si sanguis urinæ immixtus est, calefactus concrescit, & in grumos cogitur: sin rubor ab aliis causis dependet, urina calefacta potius limpidior evadit, neque grumos exhibet.

Hæc præcipua signa sunt, quæ urina suppeditat: sed iis non magis fidendum est, quam his, quæ ex pulsu desumuntur, nisi cum omnibus reliquis, quæ

in ægroto apparent, comparentur. Quod ſi, exempli gratia, ad ægrum vocamur, qui multam urinam pallidam, limpidam, profudit, curioſe examinare debemus, utrum ſyſtema nervoſum, an vaſculare, aliquo modo ſit turbatum. Si ſyſtema nervoſum affectum, vaſculare autem parum, aut omnino non, turbatum inveniamus, ſymptoma illud hyſtericum, vel hypochondriacum, adeoque minime terribile eſſe, judicare licet. Sin vero ſyſtema vaſculare inſigniter turbatum, ægrumque febre laborantem, reperiamus, pallida iſta & limpida urina, ob rationes, ſupra allatas, pejora ſymptomata exſpectanda eſſe, denuntiat.

CAPUT VIII.

Signa ex ſudore.

QUAMQUAM urina totius humorum univerſitatis conditionem nonnunquam ſatis clare indicat: clarius tamen eamdem ſignificat ſudor, qui humor magis elaboratus eſt, quum urina ſæpe numero nihil fere, niſi potionem ingeſtam, exhibeat.

Veteres magnum in eo momentum poſuerunt, ut ægrotantium ſudores olfactu, imo ipſo guſtu, explorarentur. Sed, quod ad poſteriorem examinandi modum attinet, vehementer dubitamus, an multi recentiorum illos imitaturi ſint.

Materiam ſudoris vulgaris humor perſpirabilis, valde auctus, conſtituit, cui olei limphæque, ſubter cutem collocatæ, portio quædam admiſcetur: qui humores vel motu ſanguinis incitato expelluntur, vel per cuticulæ poros, nimium laxatos, exſudant.

Elementa tamen hujus excrementi ab iis, unde urina conſtat, proxime abſunt, præterquam quod ſudor plus olei continet, utpote a ſanguine tum de-

mum ſeparatus, poſteaquam vaſorum actionem multo magis perpeſſus eſt, ejuſque elementa multo arctius concorporata ſunt.

Regulæ, quas HIPPOCRATES de ſudorum in febribus obſervatione tradidit, etiam nunc veræ cenſentur, ideoque a ſeculis ad ſecula tranſmiſſæ, atque ex charta in papyrum tranſcriptæ ſunt. Conſtanti obſervatione compertum eſt, felicem morbi exitum ab his ſudoribus prænuntiari, qui eodem tempore, quo ſedimentum in urina apparet, pulſuſque ex frequenti & duro tranquillus & mollis fit, erumpant, neque ſingularum partium, ſed totius corporis, ſint, ægrumque ponderis opprimentis ſenſu levent. Tales ſudores pro ſalutaribus habentur, morbique deceſſionem ſignificant, magiſque, ſi die febris tertio, quinto, ſeptimo, nono, undecimo, quarto decimo, decimo ſeptimo, vel viceſimo primo, profluere cœperint. His enim fere diebus, uti ſupra jam diximus, fauſtæ morborum converſiones evenire obſervatæ ſunt. Mali contra atque inutiles exiſtimantur ſudores, qui aliis, quam quos diximus, diebus, ac ſine ſignis coctionis, in urina apparentibus, ita emergunt, ut alvus adſtricta, pulſus durus & frequens, ægerque in præcordiorum oppreſſione atque agrypnia, vel in magno dolore, maneat. Tales enim ſudores morbi vehementiam, magnamque moleſtiam & anxietatem internam, præſertim circa partem, cæteris uberius inſudantem, produnt.

Nimii ſudores, ſive in febribus continuis, ſive in intermittentibus effuſi, ſi continuentur, ſolidas partes debilitatas, humores autem crudos atque indigeſtos, quorum elementa non rite inter ſe commixta & concorporata ſint, indicant. Arguunt etiam organorum, digeſtioni inſervientium, debilitatem, vel fomitem quemdam in corpore, a jecinore, aliove quo viſcere, corrupto, aut exulcerato, oriundum.

De ſignis, ex ſudorum odore capiendis, ſupra jam locuti ſumus.

CAPUT IX.

Signa ex alvi excrementis, vomituque, & anacatharſi.

ALVI excrementa æque utiliter, ac ſudores atque urina, examinantur.

Quum color fæcum alvinarum a bile potiſſimum dependeat, dejectiones albæ, vel cineraceæ, viam ductus communis in inteſtinum duodenum obſtructam, aut neceſſarii hujus humoris ſecretionem interruptam, denotant. E contrario alvus admodum fuſca bilis exſuperantiam teſtatur.

Dejectiones virides, infantibus lactentibus, atque interdum hyſtericis, vel hypochondriacis, familiares, ſaburram acidam, in primis viis accumulatam, indicant, quæ, cum bile permixta, fæces hoc colore tingit.

Dejectiones cruentæ, quibus cruor multus, & ſine torminibus, deſcendit, ſanguinem ex inteſtini recti, partiumve vicinarum, vaſis profluere, oſtendunt.

Alvus nigra, fœtorem putridum redolens, omnium maxime terribilis eſt, utpote corruptionis internæ atque gangrænæ teſtimonium. Ac, ſi pulſus concidat, vires deficiant, frigidique ſudores prorumpant, ſcire licet, mortem in propinquo eſſe.

Dejectiones mucoſæ organorum, digeſtioni inſervientium, debilitatem, vermiumque præſentiam, arguunt.

Alvus aquoſa, acrem quamdam atque irritantem materiam in canali cibali hærere, ſignificat. Oriri etiam poteſt a ſola laxitate tubulorum, liquorem inteſtinalem ſuppeditantium, vel, quod ſæpe in provectæ ætatis hominibus accidit, ab induratis atque infartis glandulis meſentericis, vel ab alia quadam

excretione, maximeque perſpiratione, ſuppreſſa.

Nimia fæcum alvinarum duritia nimium calorem internum; alias muci, inteſtinorum canalem lubricantis, vel bilis, eumdem ſtimulantis, defectum denotat.

Alvi dejectiones ſæpe numero vehementer turbantur, inordinatæque evadunt, a cauſis mere nervoſis, & animi affectibus. Quum enim totus inteſtinorum canalis copioſis nervis inſtructus ſit, fieri non poteſt, quin, turbata hac ſolidorum vivorum parte, una pariterque afficiatur. Atque hinc fit, ut pro bono ſigno in morbis habeatur, alvi conditionem eamdem manere quæ ſecunda valetudine eſſe conſuevit, ſiquidem, ſyſtema nervoſum parum, aut plane non, turbatum affectumve eſſe, inde colligere licet.

Idem de ventriculo, ciborumque appetentia, dici poteſt. Quamdiu hæc conſtat, motus ſolidorum vivorum magnopere turbati eſſe nequeunt. Humores autem craſſiores nihilominus valde vitiatos, ac ſanguinem vehementer corruptum eſſe poſſe, dirus ille morbus, qui ſcorbutus putridus nominatur, demonſtrat. In pleriſque enim, qui eo laborant, ciborum appetentia ad extremum fere vitæ halitum conſtare obſervatur.

Materia flava, vomitu copioſe rejecta, nimiam bilis abundantiam; viridis ſaburram acidam acerrimam, in ventriculo accumulatam, magnamque ſyſtematis nervoſi perturbationem, ſignificat. Vomitus cruentus raro ab alia cauſa, quam a menſibus ſuppreſſis, oritur, ac ſatis certa vitii hujus nota eſſe reperitur. Sed materiæ nigræ & grave olentis vomitus in morbis acutis pro ſigno mortis imminentis haberi poteſt, ut qui vix aliunde, niſi ab interiorum partium gangræna, proficiſcatur. Pituitæ, vel muci glutinoſi atque inſipidi, vomitus inſignem ventriculi debilitatem teſtatur, perſpicueque remediorum aſtringentium amarorum uſum requirit.

Quod

Quod ad ſigna, ab anacatharſi, ſputorumque, e pulmonibus rejectorum, conditione, repetenda, attinet, ſi magna copia phlegmatis, vel muci tenacioris, ſine magna difficultate, aut magno dolore, extuſſitur, ſcire licet, glandulas mucoſas, per pulmones diſperſas, præter naturam relaxatas eſſe: ſin autem exiguum tantummodo phlegma album, ſpumans, poſt vehementem tuſſim, cum perpetua ſpirandi difficultate conjunctam, rejicitur, duritiam, vel ſcirrhum, in glandulis illis, quas diximus, merito ſuſpicamur. Puris ſputum pulmonum exulcerationem evidenter demonſtrat. Sanguis ſincerus, floridus, ſpumans, pleno ore rejectus, quædam ex vaſis pulmonum ſanguiferis diſrupta eſſe, oſtendit: ſin autem ſanguis cum pure, vel muco, permixtus tantum eſt, ſuſpicari licet, eum ex vaſis nimium relaxatis, vel debilitatis, exire.

CAPUT X.

Summa Prognoſticorum HIPPOCRATIS.

IN præſagiendis univerſe morborum eventibus unum HIPPOCRATEM adeo excelluiſſe, ut neminem, qui poſt ipſum hanc artis noſtræ particulam agitavit, non longe ſuperet, apud omnes in confeſſo eſt. Atque hoc ipſo quoque potiſſimum nomine opera ejus tantam auctoritatem conſecuta ſunt. Quare Lectoribus noſtris haud ingrata fore confidimus, quæ ex LINDENII *Meletematibus medicinæ Hippocraticæ*, libro in perpaucorum manibus verſante, excerpta, hic ſubjiciemus. Magna enim cum diligentia vir ille doctiſſimus ex libris HIPPOCRATIS loca, huc ſpectantia, collegit, atque in duabus columnis, ex adverſo poſitis, deſcripſit, ut uno obtutu

hinc ſigna bona, felicem morbi exitum pollicentia; inde mala, periculum, vel ipſam mortem, minitantia, conſpicere liceat.

SIGNA.

BONA.	MALA.
I.	I.
Ratione quovis in morbo valere.	Ratione non valere — Delirare, in primis fractis viribus, aut ſenſim ferociter, aut cum tremore, ſpirituve difficili, & ſudore, aut ſingultu — Præter conſuetudinem reſponſum dare ferox, aut audax: loqui multum, aut raro, aut nunquam: per vices multum loqui, & obſtinate tacere, aliudve non ſolitum facere — Frequenter & fruſtra ſcreare; ſputare; ori manum admovere; muſcas venari; feſtucas colligere; de ſtragulis floccos, aut de pariete paleas, carpere —Familiares non agnoſcere — Obliviſci eorum, quæ geruntur.
II.	II.
Somnum bene cape-	Somnum non bene

SIGNA.

BONA.	MALA.
re — Interdiu vigilare, noctu dormire, aut ſaltem mane ad tertiam diei partem — Somnus profundus & compoſitus, & qui quovis in morbo proſit, delirium ſedet, convulſionem ſolvat — Expergiſci ſuaviter.	capere — Dormiendi ratio, quod ad tempus, aut modum, mutata — Non dormire, non noctu, non interdiu — Somnus, qui noxiam afferat: qui ſoporoſus, aut turbulentus eſt — Expergefieri turbulente, & cum confidentia — Dormire, palpebris non ſatis commiſſis, aut oculorum albo, magis, minus, apparente, vel hiante ſemper ore.
III.	III.
Videre bene.	Non videre — Oculos obſerari; perſtringi; hebeſcere; obtundi; caligare; vertigine tenebricoſa tentari; lucem ſplendoremve fugere, vel averſari; fixis intueri; frequenter agitare.
IV.	IV.
Audire bene.	Non audire, aut obtuſe, aut inæqualiter: ſurdum fieri.

SIGNA.

BONA.	MALA.
V.	V.
Sentire bene.	Non ſentire, nedum dolentes dolorem — Torpor, in contraria celeriter permutatus — Dolor capitis pertinax : auris intentus : cervicis : faucium ſine tumore puſillus & ſtrangulans : in pectore fixus cum torpore : oris ventriculi : præcordiorum cum impotentia loquendi : circa viſcera vehemens : circa umbilicum cum palpitatione : lumborum : ex femore : cubiti : genuum : manuum ac pedum.
VI.	VI.
Motus membrorum omnium promptos habere, & ſimillimos ſanis — Facile ſe convertere, &, in ſublevando ſe, levem eſſe.	Motus impotentia — Jactatio crebra — Difficulter converti, & gravem eſſe, quum reliquo corpore, tum manibus ac pedibus — Collum vertere non poſſe — Lingua torpida, aut reſoluta — Agitatio ejus difficilis.

SIGNA.

BONA.	MALA.
VII.	VII.
Εὐφορία, quæ in quiete corporis & tranquillitate animi conſiſtit, & ex utriuſvis indolentia procedit.	Δυσφορία, ſive animi anxietas & æſtuatio, corporiſque inquietudo, & jactatio, atque disjectio. Tantum mala non eſt, quam rigor ſequitur indicatorius, ſupervenientibus ſudoribus, vel vomitionibus commodis, vel alvo ſubducta.
VIII.	VIII.
Convulſio, eadem die deſinens.	Convulſio omnis, præter propoſitam — Diſtorqueri, velut qui vomitione conflictantur — Palpitationes in totum — Perverſio labii — Linguæ revulſio tremula — Commanſio — Calcium jactatio.
IX.	IX.
Tremores, qui humoribus coctis, & agitari incipientibus, ſuperveniunt.	Tremores in principio morborum: aut ex ſiccitate in febribus: itemque parvi.

SIGNA.

Bona.	Mala.
X.	X.
Sternutatio in morbis, qui ad pulmones non attinent, etiam letaliſſimis: quin & in doloribus circa caput ac frontem.	Sternutatio in omnibus circa pulmonem morbis.
XI.	XI.
Singultus, quum vomitionem criticam antecedit.	Singultus ſemper malus, præſertim, ſi ex inanitione fiat.
XII.	XII.
Horror, poſtridie repetens in iis, qui horruerunt, & judicatorie exſudarunt.	Horrores crebri ex dorſo: crebri & tenues cum ſudoribus tenuibus: poſt ſudorem: in doloribus.
XIII.	XIII.
Rigor quotidianus, febre ardente laboranti ſuperveniens.	Rigores crebri ex dorſo: continentes: multi cum torpore: cum ſopore: cum poſteriorum partium diſtentione: cum æſtu: cum perverſione oculorum: cum exſolutione virium: cum ſuppreſſione urinæ: cum judicatio-

SIGNA.

Bona.	Mala.
	ne: ægro jam debili: die ſexto.
XIV.	XIV.
Vox libera & expedita.	Vocis defectio, in primis cum ſingultu, aut exſolutione virium, aut reſpiratione elata & conſpicua, aut ignorantia, aut inſania, aut crebro rigore, aut dolore, aut ex dolore, aut poſt judicationem: quæve ſpeciem præ ſe convulſionis fert — Obſcure loqui.
XV.	XV.
Reſpiratio facilis: rarior ac lenior.	Reſpiratio difficilis: crebra: magna & rara: magna & frequens: ſublimis: conſpicua: minuta: obſcura: tuſſicula: ſuſpiriosa: luctuoſa: ſtertoroſa: coacervata: offendens: velut revocata & ingeminata: duplicata: ſubito revulſa: convulſiva: frigida ex naſo & ore: calida: turbida.

SIGNA.

Bona.	Mala.
XVI.	XVI.
Virium robur atque conſtantia.	Virium imbecillitas — Lipothymia — Lipopſychia — Palpitatio cordis.
XVII.	XVII.
Pulſus vehementes, magni, frequentes, rari, undoſi, dicroti, æquales, ordinati, adeoque omnes, qui in ſanis notari ſolent.	Pulſus languidi, parvi, concitati, inæquales, inordinati, intermittentes, intercurrentes, myuri, vermiculantes, formicantes, & quotquot a cujuſque ſani modo longius receſſerunt.
XVIII.	XVIII.
Cibum bene appetere, ſaltem oblatum non recuſare, nedum faſtidire.	Cibum non appetere, etiam oblatum recuſare, aut faſtidire — Pauco expleri — Belle comedenti corpus non proficere.
XIX.	XIX.
Sitire, quum oportet: aut non ſitire, quum non oportet.	Sitire, quum non oportet: aut non ſitire, quum oportet — Sitis præter rationem ſoluta; aut valde urgens; aut crebro

SIGNA.

BONA.	MALA.
	permutata, ſive vicibus multa & nulla.
XX.	XX.
Dejectio juſſa.	Dejectio invita: fallens ægroti ſenſum, & clam prodiens: labore frequens, conatu irrita.
XXI.	XXI.
Urina, quum opus eſt, reddita, & bene tum procedens.	Urina non recordanti profluens.
XXII.	XXII.
Decubitus talis, qualis eſſe ſanis conſuevit, ſcilicet, in latus dextrum, aut ſiniſtrum, cervice, manibus, cruribuſque reductis, & corpore toto molliter poſito, pedibus item & pectore probe tectis.	Decubitus in ventrem: ſupinus, cervice, manibus, pedibuſque extentis, & inæqualiter diſperſis, aut valde contortis — Ægrum in ipſo morbi vigore velle reſidere, aut ad pedes provolvi, eoſve nudos habere.
XXIII.	XXIII.
Lacrimæ quibus in febribus, aliiſve morbis,	Lacrimæ quibus quocumque in morbo præ-

SIGNA.

BONA.	MALA.
voluntarie profluunt, abſurdum non eſt.	ter voluntatem effluunt.
XXIV.	XXIV.
Lemas circa oculos non apparere.	Lemæ, aut ſordes, circa oculos concretæ.
XXV.	XXV.
Sordes in auribus amara.	Sordes in auribus dulcis.
XXVI.	XXVI.
Sanguinis e naribus fluxiones largæ, ſeptimo, nono, aut quarto decimo die, e directo, & cum ſignis coctionis.	Sanguinis e naribus fluxiones parvæ: plures: multæ & vehementes: bilioſæ: immodicæ: meracæ: repentinæ: æſtivo, & auctumnali tempore: quarto die, aut undecimo: e contrario & adverſa parte: cum ſignis pravis: ſtillationes: valde rubicundæ.
XXVII.	XXVII.
Salivatio in ſomnis cum ſudore.	Salivare mente motos: inter loquendum.
XXVIII.	XXVIII.
Sputa, cujus modi in	Sputa ſanorum diſſimil-

SIGNA.

BONA.	MALA.
ſanis, inſipida videlicet, alba, levia, æqualia, neque tenuia nimis, neque craſſa, quæque prompte & facile exſpuuntur, quæque levitas & faſtidii ceſſatio ſequuntur—A capite craſſa, nec olentia — A pectore ſimilia puri, permixta bile flava, non multo ſanguine, mucoſa fuliginoſa, quæ colorantur, & cito maturantur, & facile egeruntur.	lima — A faucibus diu cruda: ſubarida: crebra: viſcida, craſſa, exalbida, vi educta—A pectore bilioſa & purulenta: candida, glutinoſa, flava, rufa, ſincera, viridia, nigra, valde ſanguinolenta, æruginoſa, ſpumoſa, viſcoſa, livida, fœtida, dulcia, tarde, aut difficulter prodeuntia, dolorem non ſedantia, rotunda.
XXIX.	XXIX.
Vomitus mixtus ex bile & pituita, non multus, non craſſus, aut cujus modi ſponte fieri ſolet.	Vomitus meracus: varius, tum alias, tum ſi ſeſe mutuo conſequuntur: bilioſus, porraceus: æruginoſus: viridis, niger, lividus, ruber, aut omnium colorum: ater: ſanguinolentus: malus, ſupputris & fœtidi odoris: exiguus bilioſus: parvus & frequenter repetens: anxioſus.
XXX.	XXX.
Dejectio mollis, figu-	Dejectio cita. Sed ne

SIGNA.

BONA.	MALA.
rata, atque eodem fere tempore, quo ſecunda valetudine aſſuevit, modoque conveniens his, quæ aſſumuntur. Aut liquida, non ſtridens, neque crebro, neque paulatim ſecedens, ſed bis, aut ter interdiu, noctu ſemel, plus tamen prima luce, pro conſuetudine cujuſque, & craſſior a morbo, ad judicationem eunte, & aliquatenus fulva, ſive ſubrufa, nec dum præter naturam olens.	hæc quidem terrere protinus debet, ſi matutinis temporibus coacta magis eſt, aut ſi, procedente tempore, paulatim contrahitur, & rufa eſt, neque fœditate odoris ſimilem alvum ſani hominis excedit. Terribilis contra omnis æruginoſa; alba; aquoſa; atra; bile abunde colorata; bilioſa cum efflorescentia ſpumoſa; candicans; circum bilioſa; cruenta; decolor valde; exigua; farinæ ſimilis & ſtercoroſa; fœtida; abunde fermentata; friabilis; glutinoſa; grave olens; levis; larga; limoſa; liquida; livida; maculis nigris diſtincta; meraca; multa cum nigris; nigra; pallida cum virore; perfrigerans, pinguis; pituitoſa; porracea; prærubra; ſanguinis ſplendidi, aut grumoſi; ſicca, neque cohærens; ſpumoſa; ſtercoracea; ſtrigmentoſa; ſubcrocea; ſubfriabilis liquida; ſubpallida cum vi-

SIGNA.

BONA.	MALA.
	rore ; ſubpituitoſa ; ſub rubra ; tenuis ; varia , ſive ſimul inter ſe mixta , ſive per vices prodeant ; cum ſedimento aqueo & pallido vireſcente , aut limoſo & ſublivido , aut purulento , eoque puro , aut cruentis ramentiſve mixto.
XXXI.	XXXI.
Urinæ mediocres , & pro ratione craſſeſcentes —Colore citrinæ ; ſubrubicundæ — Sedimentum album , leve , æquale , toto tempore judicationis ; ſubrubrum & leve in urina ſimili ; multum — Ἐπινέφελον rubrum , cito apparens — Nubecula alba , & deorſum vergens.	Urinæ aquoſæ : bilioſæ : craſſæ primum , deinde tenues : crudæ : cruentæ : albæ , pellucidæ , tenues : turbatæ cum ſudore : turbidæ , jumentorum inſtar — Colore albæ : præſertim valde æruginoſæ : fulvæ : nigræ : rubicundæ valde — Odore fœtidæ — Sedimentum , inſtar craſſioris farinæ , ſquamularum , furfurum ; genituræ ſimile — Nubecula nigra : ſurſum lata — Contentum pingue & inſtar araneæ : arenoſum : pelliculoſum : purulentum.

SIGNA.

Bona.	Mala.
XXXII.	XXXII.
Sudores, qui cœperint die tertio, quinto, ſeptimo, nono, undecimo, decimo quarto, decimo ſeptimo, viceſimo primo, viceſimo ſeptimo, triceſimo primo, & triceſimo quarto. Ii enim ſudores morbos judicant, præſertim, ſi ex toto corpore profluunt calidi & tenues, fiuntque in ſomnis cum εὐφορίᾳ.	Sudores, qui aliis, quam recenſitis, diebus, aut intempeſtive, fiunt: multi & frigidi: continui, & multum debilitantes: multi cum acutis febribus, aut repentina impotentia acervati in convulſionibus, circa caput, faciem & collum: circa frontem grave olens: a fronte incipiens: cica pedes & crura.
XXXIII.	XXXIII.
Pus album, leve, æquale, & quam minime grave olens: ejuſdem coloris, atque expers pituitæ.	Pus lividum, aut ex pallido vireſcens: ſubcruentum: pituitoſum: ſpumans: qualis amurca: lutulentum & grave olens: ad fundum ſubſidens.
XXXIV.	XXXIV.
Lumbricos deſcendere, eunte morbo ad criſin.	Lumbricos per os exire.
XXXV.	XXXV.
Flatus, ſine ſonitu ac crepitu exiens.	Flatus non erumpere, ſed revolvi, aut cum ſonitu prodire.

SIGNA.

Bona.	Mala.
XXXVI.	XXXVI.
Corpus totum æqualiter calidum eſſe ac molle — Icterus die ſeptimo, aut nono, aut undecimo, aut quarto decimo, ſuperveniens, citra duritiem hypochondrii dextri.	Corpus totum grave: frigidum: mortiferum: febricitantium non omnino leviter conſtare ſibi, nec minui, aut etiam plus æquo colliquefieri — Icterus ſuperveniens, duro hypochondrio.
XXXVII.	XXXVII.
Facies bene valentium ſimilis: in magnis morbis conſtans: ex tumida facta depreſſa.	Faciei color alius a naturali, utpote pallidus, niger, lividus, aut plumbeus: bonus cum vultu tetrico: cum mæſtitia: cum inediis: flammeus cum ſudore — Facies bene habita in febribus; aut in parvis morbis prava; triſtis; circumtenta & contracta; corrupta.
XXXVIII.	XXXVIII.
Frons ſanorum ſimillima.	Frons dura, intenta, arida; contracta; frigida; venæ circa eam tumidæ.
XXXIX.	XXXIX.
Oculi albi, clari, lucidi, & omnino ſanorum	Oculi rubicundi, ſqualentes, obſcuri, tumidi,

SIGNA.

BONA.	MALA.
ſimillimi—Album ex nigro aut livido clarum fieri.	aut venulæ in albo liveſcentes, aut nigricantes: alter altero minor; concavi; colorati, natantes, velut dormitantium; pulvere obſiti; expreſſi foras; intente ſplendentes; ferocientes; ſicci; areſcentes, ſicut ſpuma; ſubapparitiones in ſomnis.
XL.	XL.
Palpebræ naturaliter conſtitutæ.	Palpebræ liveſcentes; perverſæ; circumtentæ; non commiſſæ; aut commiſſis, aliquid ex albo ſubapparere — Cilia retorta.
XLI.	XLI.
Aures naturaliter habentes.	Aures frigidæ, pellucidæ, contractæ: extremitates earum inverſæ — Aurium rubores, ſonitus, aut tinnitus.
XLII.	XLII.
Tempora ſanis ſimilia.	Tempora collapſa.

SIGNA.

BONA.	MALA.
XLIII.	XLIII.
Naſus ſano ſimilis.	Naſus lividus: pallidus: acutus: perverſus.
XLIV.	XLIV.
Malæ, quales eſſe ſano ſolebant.	Malarum rubor — In malas & labia, dormientium inſtar, inflare.
XLV.	XLV.
Labia ſeſe, ut in ſano, habentia.	Labia perverſa; reſoluta & pendula; frigida; exalbida; liveſcentia.
XLVI.	XLVI.
Dentes puros manere.	Dentibus lentores obnaſcentes: ſtridere: ſiderari.
XLVII.	XLVII.
Lingua recte ſe habens: non decolor; aut bilioſa: aut ejus biſulcum, velut ſaliva alba, obductum.	Lingua aduſta: æſtuoſa: ardens: arida: aſpera & valde denſa: bulla ſublivida in ea apparens: combuſta: denſa & valde arida: fuliginoſa arida: horrida ſtatim: poſtea exaſperata, fiſſaque: livida: mollis præter ratio-

SIGNA.

BONA.	MALA.
	nem : nigricans : obſcura peripneumonica : pallida albicans : rubicunda reſiccata : ſicca : cum efflorescentia aſpera, pallida, & albicante.
XLVIII.	XLVIII.
Fauces humidæ, & naturali modo conſtitutæ.	Fauces exulceratæ.
XLIX.	XLIX.
Collum rubere, præſertim in anginoſis.	Collum durum : perfrigeſcens.
L.	L.
Hypochondria mollia : æqualia, & doloris expertia.	Hypochondria intenta, & inæqualiter affecta dextra ad ſiniſtra, aut inflammata, aut pulſatio in iis, aut tumor durus & dolens : ſublimia.
LI.	LI.
Venter mollis, & bene tumidus — Partes, quæ ad umbilicum & imum ventrem ſunt, craſſitudinem habere.	Venter in tumorem ſublatus : valde calidus, aut ardens, velut in volvulis — Æſtus circa ventriculum vehemens.

SIGNA.

Bona.	Mala.
LII.	LII.
Genitale & teſtes naturaliter penduli.	Genitale & teſtes ſurſum contracti.
LIII.	LIII.
Extrema calida, & naturaliter habentia.	Extrema frigida: livida: ſublivida: non recaleſcentia: in utrumque celeriter mutata — Externa algere, interna uri.
LIV.	LIV.
Manus modice calidæ, & quales ſanis eſſe conſueverunt.	Manus frigidæ, velut congelatæ: macula livida circa illam — Carpus extimus frigens, brachio & manu tepentibus.
LV.	LV.
Pedes moderate calidi, & quales eſſe ſanis ſolebant.	Pedes non admodum calidi: calidi in horroribus: frigidi: frigidi inſtar lapidis: lividi: omnino nigri: tepidi.
LVI.	LVI.
Ungues naturalibus ſimillimi.	Ungues lividi: curvi.
LVII.	LVII.
Cutis mollis, & bene habita.	Cutis arida.

Propoſitis, quæ ægrotantibus aut ſpem promittunt, aut metum portendunt, ſupereſt, ut & ea, quæ mortem denuntiant, proponamus. Ea vero quaſi duûm generum ſunt. Quædam namque futuram, quædam præſentem mortem teſtantur.

Futura denuntiatur, ubi æger ſupinus cubat, eique genua contracta ſunt: ubi deorſum ad pedes ſubinde delabitur: ubi brachia & crura nudat, & inæquabiliter diſpergit, neque iis calor ſubeſt: ubi hiat: ubi aſſidue dormit: ubi is, qui mentis ſuæ non eſt, neque id facere ſanus ſolet, dentibus ſtridet: ubi ulcus, quod aut ante, aut in ipſo morbo, natum eſt, aridum, & aut pallidum, aut lividum, factum eſt.

Illa quoque mortis indicia ſunt, carpi frigidi: ungues digitique pallidi: frigidus ſpiritus: aut ſi manibus quis in febre, & acuto morbo, vel inſania, pulmoniſve dolore, vel capitis, in veſte floccos legit, fimbriaſve diducit, vel in adjuncto pariete, ſi qua minuta eminent, carpit.

Dolores etiam, circa coxas, & inferiores partes, orti, ſi ad viſcera tranſierunt, ſubitoque deſierunt, mortem ſubeſſe, teſtantur, magiſque, ſi alia quoque ſigna acceſſerunt.

Neque is ſervari poteſt, qui ſine ullo tumore febricitans, ſubito ſtrangulatur, aut devorare ſalivam ſuam non poteſt, cuive in eodem febris corporiſque habitu cervix convertitur, ſic, ut devorare æque nihil poſſit: aut cui ſimul & continua febris, & ultima corporis infirmitas eſt: aut cui, febre non quieſcente, exterior pars friget, interior ſic calet, ut etiam ſitim faciat: aut qui, febre æque non quieſcente, ſimul & delirio, & ſpirandi difficultate vexatur: aut qui, epoto veratro, exceptus diſtentione nervorum eſt: aut qui ebrius obmutuit. Is enim fere, adjecta nervorum diſtentione, conſumitur, niſi aut febris acceſſit, aut eo tempore, quo ebrietas ſolvi debet, loqui cœpit.

Mulier quoque gravida acuto morbo facile conſumitur: & is, cui ſomnus dolorem auget: & cui protinus, in recenti morbo, bilis atra, vel infra, vel ſupra, ſe oſtendit: cuive alterutro modo ſe prompſit, quum jam longo morbo corpus ejus eſſet extenuatum & affectum.

Sputum etiam bilioſum, & purulentum, ſive ſeparatim iſta, ſive mixta proveniunt, interitus periculum oſtendunt. Ac, ſi circa ſeptimum diem tale eſſe cœpit, proximum eſt, ut is circa decimum quartum diem decedat, niſi alia ſigna meliora pejorave acceſſerint, quæ quo leviora graviorave ſubſecuta ſunt, eo vel ſeriorem mortem, vel maturiorem, denuntiant.

Sudor quoque frigidus in acuta febre peſtiferus eſt: atque in omni morbo vomitus, qui varius, & multorum colorum eſt, præcipueque, ſi malus in hoc odor eſt.

Ac ſanguinem quoque in febre vomuiſſe, peſtiferum eſt.

Urina vero rubra & tenuis in magna cruditate eſſe conſuevit, & ſæpe ante, quam ſpatio matureſcat, hominem rapit. Itaque, ſi talis diutius permanet, periculum mortis oſtendit. Peſſima tamen eſt, præcipueque mortifera, nigra, craſſa, mali odoris. Atque in viris quidem & mulieribus talis deterrima eſt: in pueris vero, quæ tenuis & diluta eſt.

Alvus quoque varia peſtifera eſt, quæ ſtrigmentum, ſanguinem, bilem, viride aliquid, modo diverſis temporibus, modo ſimul, & in mixtura quadam, diſcreta tamen, repræſentat. Sed hæc quidem poteſt paulo diutius trahere. In præcipiti vero jam eſſe denuntiat, quæ liquida, eademque vel nigra, vel pallida, vel pinguis eſt, utique, ſi magna fœditas odoris acceſſit.

Præſentem mortem, ſive ad ultima ventum eſſe, teſtantur nares acutæ, collapſa tempora, oculi con-

cavi, frigidæ languidæque aures, & imis partibus leniter verſæ, cutis circa frontem dura & intenta, color aut niger, aut perpallidus, multoque magis, ſi ita hæc ſunt, ut neque vigilia præceſſerit, neque ventris reſolutio, neque inedia: ex quibus cauſis interdum hæc ſpecies oritur, ſed uno die finitur. Itaque, diutius durans, mortis index eſt. Si vero in morbo vetere jam triduo talis eſt, in propinquo mors eſt: magiſque, ſi præter hæc oculi quoque lumen refugiunt, & illacrimant; quæque in iis alba eſſe debent, rubeſcunt; atque in iiſdem venulæ pallent; pituitaque, in iis innatans, noviſſime angulis inhæreſcit; alterque ex his minor eſt; iique aut vehementer ſubſederunt, aut facti tumidiores ſunt; perque ſomnum palpebræ non committuntur, ſed inter has ex albo oculorum aliquid apparet, neque id fluens alvus expreſſit; eædemque palpebræ pallent, & idem pallor labra & nares decolorat: eademque labra & nares, oculique, & palpebræ, & ſupercilia, aliquave ex his, pervertuntur; iſque propter imbecillitatem jam non audit, aut non videt, & pulſus formicatur, ac deficit, & reſpiratio in pulmone primum, mox gutture, ſtridet *).

*) Quæ de mortis indiciis hic proponuntur, pauciſſimis exceptis, repetita ſunt ex A. Cornelii Celsi *Lib. II, Cap. VI.*

INTRODUCTIONIS METHODICÆ IN THEORIAM MEDICINÆ

LIBER VI.

Generalis ſanitatem tuendi methodus.

CAPUT I.

Quomodo valetudinarii ſe gerere debeant.

ILLAM medicinæ partem, quæ, quomodo ſanitas tuenda, morbiſque occurrendum ſit, docet, vulgo ad eos tantum, qui abſoluta ſanitate fruuntur, tutique a morbis ſunt, pertinere exiſtimant. Sed hoc hominum genus raro medentis conſilium aut petit, aut ei auſcultat. Hygienen itaque (hoc enim nomine pars illa medicinæ appellatur) potius ad valetudinarios referri oportet, hoc eſt, eos, qui, licet quum maxime non ægrotent, abunde tamen cauſarum habent, cur morbos ſibi timeant. Quamobrem præceptis illis ſic utendum eſt, ut corporis ad morbos proclivitas corrigatur, variæque illæ res, quas cauſas morborum remotas, ſive poſſibiles, eſſe docuimus, arceantur.

Si modum, quo ſcriptores ſyſtematici temperamentorum mentionem facere ſolent, tecum reputes, in ea opinione eſſe videntur, ut ex ſingulis corporum conſtitutionibus nullam inveniri exiſtiment, quin ad

unum quodpiam quatuor illorum temperamentorum referenda ſit. Sed hoc vix, aut plane non, locum habere poteſt, ſiquidem plerorumque omnium corporum conſtitutio notas tam parum dilucidas & diſtinctas habet, ut difficile dictu ſit, ad quod temperamentum pertineat.

Si qui ſunt, in quibus evidenter appareat, aut

1) fibra nimis robuſta ac rigida, cum nimia ſenſibilitate, aut

2) fibra debilis & laxa, cum nimia ſenſibilitate, aut

3) fibra nimis robuſta, cum exigua ſenſibilitate, aut

4) exigua ſenſibilitas, cum fibra debili, & laxa conjuncta: ſi tales igitur nobis occurrunt, eo magis minuſve valetudinarios eſſe, judicare debemus, quorum ſtatus poſtulet, ut ad conditiones iſtas morbificas ſingulari quadam cura attendatur, ne in morbos, temperamentis illis cognatos, incidant.

Primi temperamenti homines quum febribus continuis, præcipueque inflammatoriis, obnoxii ſint, ſanitatem hac ratione tuebuntur, ſi temperantiam & moderationem tum in victu, tum in corporis exercitatione, adhibeant, ſi perpotationes ſtudioſe vitent, ac ſollicite caveant, ne qua excretionum naturalium cohibeatur. Iidem evacuationes, nominatim ſanguinis detractionem, commode perferunt. Neque tamen is detrahendus eſt, niſi ſi vaſa adeo oneravit, ut ſui deminutionem prorſus deſideret, ſiquidem hoc evacuationis genus, ſi nimium ſit, corporis conſtitutionem facile in alterum convertit temperamentum, in quo fibrarum robur deficit, ſenſibilitas redundat.

Hujus vero temperamenti homines doloribus præſertim ac ſpaſmis patent, facileque animo perturbantur: & feminæ quidem, molli delicatoque hoc habitu præditæ, ad hyſtericos affectus admodum proclives ſunt. Sanitatis tuendæ ratio hîc in eo conſiſ-

tit, ut partes ſolidas exercitatione moderata, balneis frigidis, aquis ferratis naturalibus, corroborent, ſummaque cura provideant, ne digeſtionis organa unquam ſaburra quadam onerentur, quæ flatus generare, aut ventriculi atque inteſtinorum membranas, exquiſitiori ſenſu præditas, irritare poſſit: unde ataxia celeriter cum univerſo ſyſtemate nervoſo communicaretur. Iidem & ab emeticis, & a catharticis vehementioribus, ſicut etiam a ſanguinis detractione, niſi quum peropus eſt, abſtinere debent. In primis autem monendi ſunt, ut quascumque mutationes repentinas, maxime victus & veſtitus, fugiant, animumque tranquillum ſervare omni modo ſtudeant. Hinc eximii illi fructus repetendi ſunt, qui in temperamenti hujus homines ex aquis medicamentoſis, ad ipſos fontes potis, redundant. Fere enim in his locis, quæ excipiendis valetudinariis dicata atque accommodata ſunt, curarum vitæque negotioſæ vacuitas obtinet.

Tertii temperamenti homines, qui fibrarum robur nimium, ſenſibilitatem autem juſto minorem habent, ad morbos graves ac periculoſos non admodum proclives eſſe videntur, adeoque vix credibile eſt, futurum eſſe, ut de ſanitatis tuendæ ratione aut ipſi cogitent, aut Medicorum præceptis ſalutaribus inſtruendos ſe tradant. Cæterum hoc hominum genus omnes evacuationes facile ſuſtinet, ac nonnunquam requirit, ut nimiæ plenitudini occurratur, quæ ne in cerebri, vel alius cujuſdam organi neceſſarii, oppreſſionem deſinat, timeri poteſt.

At quarti temperamenti homines, in quibus debilitas cum exigua ſenſibilitate conjungitur, morbis, tædii ac periculi plenis, vel maxime patent, a vaſorum abſorbentium vi deficiente, atque univerſi ſyſtematis vaſcularis motu remiſſo, oriundis, velut polyſarciæ, hydropi, ictero, & ſcorbuto multiplici. Quibus, aliiſve fluidorum animalium accumulationibus

atque depravationibus ut occurrant, eos generoſiore victus ratione, cum acriore corporis exercitatione, uti, diligenterque cavere oportet, ne qua ſecretio interrumpatur, aut qua excretio naturalis ſupprimatur. Habitus hujus homines medicamenta purgantia commode perferunt, nec raro deſiderant, non minus, quam vomitoria, quæ ſæpius neceſſaria inveniuntur ad exercitationum vices implendas, abdominis viſcera agitando, optimeque ad bilis ſtagnationem, vel muci, digeſtionem impedientis, ac primas vias obſtruentis, accumulationem præcavendam faciunt. Seminum ſinapeos, raphani agreſtis, ſimiliumque ciborum ſtimulantium, uſus liberalior in hujuſce modi torpore mirifice conducit.

Hactenus de ſolidorum vivorum conditionibus morbificis. Paucis nunc exſequamur, quomodo, qui ab humoribus craſſioribus naſcuntur morbi, præcaveri poſſint.

Univerſis humoribus ultra ſanitatis abſolutæ menſuram auctis, plethora, quam vocant, naſcitur: ex quo fonte varii generis morbi manare poſſunt. Quare, ut primum nimia hæc plenitudo languorem ac præcordiorum oppreſſionem creare incipit, mature curandum eſt, ut corpus ad juſtum reducatur modum, alimentis ſubtrahendis, excretionibus naturalibus augendis, corpore crebrius exercendo, ſomnique ſpatio circumcidendo.

Sin e contrario humores exhauſti ſunt, ut ulterior eorum jactura præpediatur, medicamentis, ventriculum roborantibus, victuque nutriente, utendum eſt, ita quidem, ut eodem tempore omnes & corporis, & animi, fatigationes evitentur.

Humores vitioſi vel acrimonia quadam generali, acida, putrida, muriatica, *&c.* affecti ſunt, vel peculiaris cujuſdam materiæ morbificæ, eamdem morborum ſpeciem, velut arthritidem, rheumatiſmum, calculum, ſcorbutum, *&c.* conſtanter generantis, ſigna exhibent.

In infantibus nonnunquam inſignem acorem obſervamus, qui non ſolum in primis viis ſe manifeſtat, ſed ipſam quoque humorum univerſitatem contaminare videtur. Qui quum ab inteſtinorum debilitate oriatur, ad præcavendos ſiniſtros illius effectus, hoc præcipue laborandum eſt, ut organa, digeſtioni inſervientia, corroborentur, utpote a quorum integritate chyli boni confectio dependet. Exhibendæ ſunt minutæ portiones rhei barbarici & ferri, ſive aquas ferratas naturales, quibus lac adjectum eſt, quis malit, ſive flores ſalis ammoniaci martiales, paucorum granorum pondere, quod cum infantis ætate congruat. Victus ratio ea eſſe debet, ut nihil, quod acori contrahendo opportunum ſit, aſſumatur. Nec minus acriores corporis exercitationes, cum ventriculi, abdominis, artuumque inferiorum, frictionibus imperandæ ſunt.

In humorum ad putredinem proclivitate, quam dentes corrupti, gingivæ laxæ, ac ſanguine ſtillantes, vultuſque turgidus, & livore decoloratus, commonſtrant, victum potiſſimum ex vegetabilibus recentibus, fructibuſque horæis maturis, cum vino modico, conſtare, cum eoque acriores corporis exercitationes, ac medicamenta amara roborantia, conjungi oportet.

In acrimonia muriatica, quam exanthemata ſcabioſa, ſitis immoderata, caloreſque fugaces, produnt, nihil plus valet, quam aquæ fontium ſulfuratorum, quales ad Harrowgate & Moffat in Britannia, vel ad Lucan & Swadlinbar in Hibernia ſcaturiunt. Sed ſub uſu illarum ea victus ratio eſſe debet, ut nihil neque acre, neque quod calorem moveat, aſſumatur.

Hæc de illis materiæ morbificæ ſpeciebus, quæ non conſtanter eamdem morbi ſpeciem gignunt, ſufficiant. Tranſeundum nunc eſt ad eas, quæ naturam habent ſpecificam. Harum nonnullæ ſua ſponte in corpore generantur, atque a prava victus ratione,

aliiſve erroribus, in œconomiæ animalis adminiſtratione commiſſis, proficiſci videntur. Atque hinc noxas illarum interdum, ſi non in totum, at ex parte tamen, præcavere licet. Sic exempla hominum proſtant, qui, ſolo lacte veſcentes, arthritidis reverſiones ſubmoverunt.

Rheumatiſmo quoque nonnunquam occurrerunt, qui induſia lanea geſtarunt, vel balneis frigidis ſine intermiſſione uſi ſunt.

Calculum, ne celerius ingrandeſcat, majoreſque moleſtias pariat, ſapo & aqua calcis vivæ pota, vel lixivium ſaponariorum, ex lacte, aut carnis vitulinæ juſculo, ſumptum, impedire poteſt.

Scorbutum putridum arcent veſtimenta, majorem calorem foventia, exercitationum acriorum ſtudium perſeverantius, vini, vel pomacei, potus, vegetabiliumque ſalubrium, in locis, huic morbo maxime opportunis, parabilium, uſus liberalior.

In eo corporis habitu, qui proclivitatem ad ſcrofulas hereditate accepit, ſi mature cures, ut partes ſolidæ balneis frigidis, cibis nutrientibus, moderatoque vini potu, corroborentur, veri ſimile eſt, acrimoniam, morbi genitricem, ſic infringi poſſe, ne qua noxa gravior corpori inde timenda ſit.

Cætera materiæ morbificæ genera, naturam ſpecificam habentia, corpus vel per infectionem, vel per contagionem, ſubeunt.

Infectionem, a febre putrida, vel dyſenteria, metuendam, commode præcavet emeticum, ſtatim ſub prima nauſeæ, aut horroris, acceſſione ſumptum. Quod ſi non ſatis reſpondet, latum emplaſtrum veſicatorium inter ſcapulas admovendum eſt. Hac ratione eorum, qui decumbentibus in noſocomiis nauticis miniſtrant, valetudo ſæpe conſervata eſt.

Quod ad contagionis materias attinet, noxæ, quas canis rabioſi morſus minatur, balneis frigidis, uſuque pulveris cujuſdam, qui prioribus *Pharmacopœæ*

Londinenſis editionibus, ſub pulveris antilyſſi nomine, inſertus fuerat, præcaveri poſſe dicuntur. Sed validius præſidium ab argento vivo ſperare licet, ſi unguentum, inde concinnatum, vulneri minutatim ita infricetur, ut levis quidam ptyeliſmus oriatur, quem per aliquot hebdomadas ſuſtineri, ſimulque parti commorſæ exiguum emplaſtrum veſicatorium imponi, atque ulcus diu apertum ſervari oportet.

Atque viperæ quoque morſum innoxium reddi affirmarunt, ſi membro ſauciato infrictiones ex adipe viperino, aut vulgari oleo olivarum, adhibeantur. Quidam ex Academiæ regiæ ſcientiarum Pariſinæ Sociis, qui pericula hanc in rem fecerant, oleum in viperæ morſu valere negarunt. Experimentorum autem, ab Anglis captorum, ſucceſſus feliciores fuiſſe, ex *Tranſactionibus philoſophicis* cognoſci poteſt.

Noxis, quas variæ illæ ſaburræ ſpecies corpori inferre poſſunt, in univerſum occurrendum eſt medicamentis vomitoriis, circumſpecte exhibitis, ſollicitaque abſtinentia ab iis alimentis, quorum ſupra mentionem fecimus, ubi, quibus ex cauſis noxia in canali cibali accumularentur, expoſuimus.

Quos acor in ventriculo male habet, vegetabilia cruda, lac, butyrum, aliaque oleoſa, fugiant, corporis exercitatione acri, maximeque equitatione, utantur, & a liquoribus fermentatis ſe abſtineant. Potui ſit aqua per ſe, aut aqua, cui pauxillum ſpiritus ardentis, ex ſaccharo, vel vino, confecti, adjectum ſit. Uſus medicamentorum amarorum roborantium, cum elixirio vitrioli acido, a guttis decem ad viginti, ad fibras ventriculi corroborandas, rerumque, in ipſo contentarum, expulſionem promovendam, atque una nimis celerem mixturæ alimentariæ fermentationem impediendam, proficiens obſervatur. Citum levamen fere ſemper affert magneſia alba, vel creta præparata. Utraque cum ſaccharo & mucilagine quadam in tabulas, quos morſulos

vocant, effingi, atque ita ab his, qui acida ſaburra laborant, in veſtibus circumferri, ac ſubinde devorari poteſt.

In ea corporis conſtitutione, in qua bilis redundat, vel ſtagnat, moleſtuſque amaror in ore ſentitur, alvus ſemper aperta ſervanda eſt, ſic, ut oleum ricini, vel cremor tartari, vel ſal aliquis catharticus vulgaris, vel aliqua ex aquis naturalibus purgantibus, parva ſubinde portione ſumatur.

Qui ſaburræ empyreumaticæ, ſive rancidæ, opportuni ſunt, ab iis omnia oleoſa, condimentiſque acrioribus largius conſperſa, ſollicite vitanda ſunt. Cibi eſſe debent ſimpliciores, a quibus embammata opipara nimiique ſucci abſint. Atque his ipſis non, niſi parcius, veſcendum eſt. Potui commodiſſime inſervit aqua.

CAPUT II.

Quomodo ſanis, & bene valentibus, agendum ſit.

QUAMVIS, temperantiam in univerſum certiſſimum ſanitatis præſidium eſſe, dubitari non poſſit, veteres tamen Medici, quemadmodum ex CELSI de ſanitate tuenda præceptis apparet, tam faciles fuerunt, ut nonnunquam laxiorem victus rationem commendarent, modumque & in eſca, & in potione, excedi permitterent. Sed intemperantia in hac, quam in illa, tutior eſt. Quod ſi ex perpotatione corpus offenſum eſt, ut inſolitum quemdam moleſtumque dolorem, vel nauſeam, ſentiat, & febris temporaria moveatur, duplici ratione hanc noxam propulſare licet, vel ſic, ut in lecto conquieſcas, ac perſpirationem incites, vel ſic, ut equum conſcendas, atque exercitatione vehementiore corpus in

ſtatum naturalem reducas. Neuter tamen modus peræque in omnibus reſpondet. Pro corporum enim varietate alium prior, alium poſterior, magis juvat. Quam ob rem experimentis quemque in ſe credere debere exiſtimamus, hoc potius, an illo, utatur.

At ſi quis cibis, præcipueque iis, quibus aromata acriora, atque embammata opipara, adjecta ſunt, nimium ſe replevit, aquæ frigidæ potio, cui ſpiritus vitrioli ad gratum acorem inſtillatus eſt, ponderis in ventriculo ſenſum tollit, ciborumque concoctionem adjuvat, fermentationem ipſorum juſtos intra limites cohibendo, atque ita flatuum nimiorum generationem præpediendo. Glaciei luxuria in Magnatum conviviis hîc vere prodeſt, ut quæ idem, quod frigida, acore tincta, efficiat. Corpori, cibis nimium repleto, ſomnus inutilis eſt: neceſſaria autem vigilia & exercitatio, cujus finis eſſe debet ponderis, ventriculum atque præcordia opprimentis, ſenſus ſublatus.

Si quibus de cauſis inediæ neceſſitas incidit, labor omnis, ſi fieri poteſt, vitandus eſt. Neque ex multa fame nimia ſatietas, neque ex nimia ſatietate fames idonea eſt. Item neque ex nimio labore ſubitum otium, neque ex nimio otio ſubitus labor tutus eſt. Denique, quum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit aſſueſcere. Quamquam enim corpus humanum ita comparatum eſt, ut multas mutationes, etiam in deterius factas, ſine magno periculo ſuſtinere poſſit: tamen, ſi nimis repentinæ iſtæ fuerint, nunquam graviorem aliquam noxam illi non importabunt.

Celsi quoque monitum eſt, ut varium vitæ genus habeamus, neque ullis legibus certis nos obligemus. Sed quum vita nimis otioſa corpus debile ac torpidum efficiat; exercitatio autem firmitatem & vigorem ipſi impertiatur: equitatio, deambula-

tio, atque in vehiculo geſtatio, non, niſi ex intervallis brevioribus, intermittendæ ſunt: quarum vicibus commode exercent arma, pila, vel choreæ, quodcumque genus jucundiſſimum cuique aptiſſimumve videbitur, ita tamen, ne vel temporum rationi, vel corporum ad morbos peculiares proclivitati, repugnet. At ſi corpus per ſenectutis imbecillitatem nulli exercitationum generi ferendo eſt, frictiones ſiccæ, ope peniculi mollioris, neceſſariæ ſunt, quibus humorum per vaſa exiliſſima curſus acceleretur, &, ne fluida in telæ celluloſæ, per carnes expanſæ, interſtitiis juſto diutius ſtagnent, præcaveatur.

Somnus magnus ille virium reparator eſt, ſiquidem per eum præcipue particulæ nutrientes corpori apponi videntur, ut, quæ labor atque exercitatio diurna detrivit, noctu reſarciantur. Sed, qui ſomno nimium indulgent, gravibus incommodis, corpus æque, ac mentem, afficientibus, patent. Somnus enim juſto longior ſenſuum aciem obtundit, &, ut fluida in ſyſtemate cellulari ſtagnent, efficit: unde polyſarcia, ejuſque effectus neceſſarii, languor ac debilitas, naſcuntur.

Opportunum ſomno tempus nocturnum eſt, quo tenebræ & ſilentia eum per ſe invitant. Ideoque ſomnus diurnus fere corpus non reficit, ac quoſdam, præſertim litterarum cupidos, manifeſto lædit, ut qui inſolitam ab eo vertiginem atque languorem experiantur. Cæterum vis conſuetudinis non raro tanta eſt, ut ſomni diurni neceſſitatem faciat, adeoque eum his, quorum corpora vere recreat, concedi oportet.

De generali victus ratione inter omnes ſemper conſtitit, infantibus & junioribus alimenta molliora ac leniora, mediis ætatibus ſolidiora convenire: in ſenectute autem cibo demendum, potioni adjiciendum eſſe.

Si

Si qui de Lectoribus noſtris erunt, qui ſanitatis tuendæ præceptis plenius inſtrui deſiderent, iis Cl. MACKENZIE *Hiſtoriam ſanitatis* commendamus, in qua, quæcumque ab antiquiſſimis temporibus ad noſtram uſque memoriam illuſtrandæ huic medicinæ parti ſcripta ſunt, in compendium miſſa, exhibentur. Quumque vir laudatus librum illum, annos octoginta natus, ediderit, dubium eſſe non debet, quin, quid potiſſimum præcipiendum eſſet, optime judicare potuerit.

INTRODUCTIONIS METHODICÆ IN THEORIAM MEDICINÆ

LIBER VII.

Therapia generalis.

CAPUT I.

Therapia generalis motuum ſyſtematis vaſcularis inordinatorum, ſpeciatim intentorum.

QUEMADMODUM in præcavendis morbis ad conditiones corporum morbificas, cauſaſque illorum remotas: ita in iiſdem levandis, vel tollendis, ad cauſas proximas reſpiciendum eſt. Therapiam igitur generalem in eo præcipue verſari oportet, ut, quomodo cauſæ morborum proximæ arceantur, vel removeantur, nos doceat, ſive univerſales illi ſint, ex ſymptomatibus generalibus conſtantes, ſive topici, a ſingularum corporis partium vitiis dependentes.

Sæpe jam diximus, quindecim illorum ſymptomatum generalium, in morbis univerſalibus prævalentium, cauſas proximas ad motus ſyſtematis vaſcularis & nervoſi intentos, perturbatos, remiſſos, atque interruptos, reduci poſſe. Unde, quæ curationis indicationes generales eſſe debeant, facile intelligitur.

Ordiemur a ſyſtemate vaſculari, ea propoſituri remedia, quibus utendum eſt, quando motus ejus a

moderatione illa atque æquabilitate, quæ in ſanitate obtinet, deſciverunt.

Morbi, ab hac intentione ac perturbatione oriundi, ſunt febres, inflammationes, & profluvia activa, in quibus arteriarum pulſationes validæ celereſque ſunt, cum ſymptomatibus prævalentibus, ſenſu nimii caloris, ſiti, præcordiorum oppreſſione, agrypnia. Ut leventur hi morbi, auxilia petenda ſunt a ſanguinis miſſione, ab alvi purgatione, a medicamentis ſedantibus, ſæpe a vomitu, & a victus ratione tam tenui, quæ cæterorum remediorum effectus adjuvet atque promoveat. *)

*) Quum Lectores noſtros in diſpenſatoriis & libris de materia medica verſatos eſſe ponamus, ea tantum medicamenta compoſita ac ſimplicia hîc exhibebimus, quæ in quotidianum uſum vocantur, quorumque virtutes ſatis ſpectatæ atque comprobatæ ſunt.

SANGUINIS MISSIO.

Quamquam, in quo robur fibrarum vivarum conſiſtat, certo dicere non poſſumus: id tamen ſcimus, niſi vaſa ſanguifera penitus repleta ſint, ita, ut æquilibrium inter vim contractilem ſolidorum, & vim expandentem fluidorum ſervetur, robur fibrarum muſcularium in univerſum imminui, idque pro ſanguinis, e vaſis emiſſi, modo, atque evacuationis celeritate.

Robore fibrarum muſcularium in univerſum debilitato, cor quoque, tamquam muſculum ſingularem, viribus ſuis, quibus ſanguinem propellit, non nihil defici, neceſſe eſt: unde circuitus humorum languidior evadit, adeoque calor animalis imminuitur. Atque ita facile intelligimus, qua ratione fiat, ut ſanguis miſſus corpus refrigeret.

Obſervandum vero eſt, ſi motus ſyſtematis vaſcularis diutius intentus maneat, plerumque ſtricturam aliquam ſpaſmodicam obtinere, quæ inſolitam cordis & ſyſtematis arterioſi irritationem foveat. Quapropter, quamvis miſſo ſanguine, calor moleſtus eſſe pergit, niſi eodem tempore, quo ſanguis detrahitur, etiam ſtrictura ſpaſmodica ſolvatur, humorumque per exiliſſimas arterias tranſitus naturalem ſuam libertatem recuperet.

Obſervandum quoque eſt, caloris intentionem interdum non tam a circuitu, quam a motu inteſtino, ſanguinis dependere, adeoque corporis refrigerationem tunc fruſtra ab illius detractione exſpectari. Calor iſte, ut ſupra diximus, pejoris notæ febribus putridis proprius eſt, in quibus arteriarum pulſationes debiliores, quam in ſanitate, ſunt, & ſanguinis miſſio nunquam non nocet.

Levamen in his morbis nonnunquam affert ſpiritus vitrioli acidus, ſi cum potione, qua ægrotus uti conſuevit, eo modo miſceatur, qui grato illam acore imbuat.

Patet hinc ratio, cur a ſanguinis detractione febris progreſſus tam raro impediatur. Eadem tamen in morborum illorum, qui in nimiis ſyſtematis vaſcularis motibus potiſſimum conſiſtunt, principiis ſummam præſtat utilitatem, ac vix unquam omitti poteſt. Nimios autem iſtos motus ſemper ex pulſu cognoſcere licet. Quotieſcumque igitur in quocumque morbo pulſum frequentem, validum, plenum, cum magno calore, dolore, & præcordiorum oppreſſione, conjunctum, invenias, ſanguinis miſſio tuta eſt.

Symptomatibus talibus præſentibus, ipſa in peſte ſanguinem detraxerim, ait expertiſſimus HUXHAMUS.

Interdum vero, etiamſi pulſus debilis ac parvus eſt, ſanguinis tamen miſſio omitti haudquaquam poteſt, velut in peripneumonia, nonnulliſque aliis in-

flammationibus internis, quarum ſigna propria ſuo loco exhibebimus.

De repetenda ſanguinis detractione ſequentes obſervari poſſunt regulæ:

Si, poſt miſſum ſanguinem, pulſus æque, ut antea, frequens, ſed minus validus eſt, calorque immoderatus, ac præcordiorum oppreſſio, parum, aut omnino non, imminuuntur, in repetenda ſanguinis detractione admodum cauti eſſe debemus. Facile quippe accidere poteſt, ut corpus nimis inde debilitetur, tollendæque ſtricturæ ſpaſmodicæ ſpes abrumpatur. Quod quam periculoſum ſit, nemo ignorat. Neque enim, niſi obſtaculo hoc penitus remoto, humorum per vaſa circuitus priſtinæ moderationi, æquabilitati, ac libertati reſtitui poteſt.

Quo magis, a detracto ſanguine, venæ concidunt, anxietaſque ingraveſcit: hoc magis cavendum eſt, ne ſanguis ultra mittatur. E contrario, ubicumque ſanguinis detractio pulſum potius excitaſſe, ſpirituſque difficultatem expediviſſe, & ponderis, præcordia opprimentis, ſenſum levaſſe animadvertitur, tuto a nobis repeti poteſt, quouſque reliquæ morbi conditiones eam exigere videbuntur.

Quantum ſanguinis, & qua in parte, mitti, utrum vaſorum genus incidi, quemque detractionis modum adhiberi oporteat, generatim definiri nequit. Nihil enim ex his perpetuum eſt, ſed peculiares rerum conditiones obſervandæ ſunt, quæ nunc certam aliquam venam, nunc arteriam potius, incidi, nunc ſanguinem per cucurbitulas, nunc per hirudines, detrahi poſtulant.

Ubi vehemens quoddam ſymptoma, velut ſumma præcordiorum oppreſſio, ac ſpirandi difficultas, ſanguinis miſſionem iterari, vel repeti, deſiderat; aliæ autem conditiones, velut ultima virium imbecillitas, &c. eamdem prohibent: tutiſſima agendi ratio hæc eſt, ut Medicus miniſtro, venam incidenti, aſſiſtat,

pulſumque, dum ſanguis profluit, digito explorare pergat. Nam ſi eum liberiorem, ictuſque validiores fieri percipit, tot ſanguinis uncias, quot libet, detrahere licet: ſin autem tactæ arteriæ pulſationes elangueſcunt, protinus ſanguis ſupprimendus, & vena occludenda eſt.

Qui ſub ſanguinis miſſione, erecto corpore ſedentes, facile animo linquuntur, moleſtiam hanc declinare poſſunt, ſi, dum ſanguis e vena manat, & aliquanto poſt, ſupini manibus cruribuſque porrectis, jaceant. Fere enim tales hoc temperamento prædiți ſunt, quod ſimul & ſummam ſenſibilitatem, & perexiguum robur, habet. Itaque vaſa ſanguifera exinanita juſto lentius ſe contrahunt. Æquilibrium autem inter partes continentes atque contentas neutiquam in illis mutari poteſt, quin citiſſime id ſentiant, vividiſſimeque inde afficiantur.

Supra oſtendimus, cordis & ſyſtematis arterioſi robore integro, gravitatis vi attrahenti tam exiguam in motus fluidorum animalium poteſtatem eſſe, ut percipi nequeat. Simul atque vero robur illud deminutum eſt, fluida æque, ac quævis aliæ materiæ craſſiores, legibus gravitatis ſubjecta ſunt. Hinc in eo, quem deſcripſimus, corporis habitu, ſi ſanguis detractus robur fibrarum motricium in univerſum dejecit, vis cordis adeo deficit, ut ſanguini, per ſuperiores arteriæ aortæ ramos propellendo non ſufficiat, niſi obſtaculum, quod a ſolo pondere ſanguinis objicitur, removeatur. Removetur autem, ſi is, cui vena inciditur, manibus cruribuſque porrectis, ſupinus jacet: ideoque ſanguis majore cum libertate vaſa permeat.

Quotieſcumque ſanguinem a parte aliqua, cujus vaſa nimium repleta ponuntur, ſicut cerebri vaſa in phrenitide, pulmonum in peripneumonia: ab ea igitur parte ſi ſanguinem redundantem luculenta quadam ratione aliorſum derivare volumus, opus eſt,

ut neceſſaria ſanguinis copia tempore, quam fieri poteſt, minimo detrahatur. In hoc enim ſumma ad levandos ægrotos vis, ſummumque momentum poſitum eſt: id quod facili negotio perſpiciet, quiſquis naturam effectuſque derivationis, ſupra explicitos, in memoriam ſibi revocaverit. Ex quo apparet, ſi ſanguis in his ſimilibuſve morbis mittatur, quam neceſſarium ſit, ut vena amplo vulnere, vel binæ venæ ſimul incidantur.

ALVI PURGATIO.

Alvi purgationes nimios ſyſtematis vaſcularis motus duplici ratione imminuunt, tum, quod inſignem fluidorum animalium copiam expellunt, eoque ipſo non tantum fibras motrices in univerſum, ſed in primis etiam cor atque arterias, debilitant, tum, quod canalem cibalem multis rebus acribus & ſtimulantibus liberant, quæ, ibi commorantes, non poſſunt non inſolitam quamdam irritationem fovere.

Quotieſcumque igitur motus ſyſtematis vaſcularis modum naturalem inſigniter egrediuntur, perutile eſt, ſanguinis miſſioni alvi purgationem ſubjicere, vel ſæpius etiam præmittere. Medicamentorum, huc pertinentium, ſelectum, portionem, exhibendique modum, ex magna conditionum peculiarium, quæ exponi non poſſunt, varietate definiri oportet. Neque tamen alienum a re fuerit, quæ in uſu illorum perpetua ſunt, paucis proponere.

Medicamentorum, alvum purgantium, alia lenientia vocantur, quæ illam blande referant, alia draſtica, quæ ventrem vehementius fluere cogunt. Actio eorum in hoc conſiſtit, ut fibras inteſtinorum, exquiſitiſſimo ſenſu præditas, irritent: quo ipſo non tantum motus illarum periſtalticus acceleratur, ſed muci etiam, vaporiſque limphatici, undique in cava inteſtinorum exeuntis, ſecretio augetur, præterea-

que inuſitata liquoris pancreatici ac bilis copia a fontibus ſuis in hunc canalem corrivatur. Ex quo facile judicatu eſt, quanta humorum vis una purgatione acriore expelli, quantumque de maſſa univerſa deminui poſſit.

Medicamenta, alvum purgantia, vario exhibentur conſilio. Interdum ideo tantum iis utimur, ut ventrem liberum ſervemus, &, ne inteſtinorum canalis nimia fæcum colluvie obruatur, impediamus. Quo ſi nihil amplius deſideratur, blandiſſima tantum adhibemus, mannam, electuarium e caſſia, vel lenitivum, pauca grana rhei barbarici, vel drachmas aliquot olei ricini, aut, ſi primas vias manifeſtus acor obſidet, magneſiam albam, aut, ſi eædem pituita glutinoſa oppletæ ſunt, pauca grana aloës, vel ſcammonii, cum ſapone in pilulam redacta.

At ſi canalem inteſtinorum prorſus exhauriri neceſſe eſt, validiora medicamenta exhibenda ſunt, quorum ſive materiam, ſive, qua præberi poſſunt, formam ſpectes, ingens eſt varietas. Ex ſalibus cæteris præferendi ſunt ſal catharticus, ſive mirabilis, Glauberi, ſal polychreſtus, maximeque Rupellenſis, ſive Seignettianus, quum ingrato illo ſapore careat, qui prioribus proprius eſt, ac, ne plurium ventriculi eos ſine nauſea perferant, efficit. Ex vegetabilibus facile tutiſſima ſunt rheum barbaricum & ſena, quæ vel in pulveris, vel in boli, vel in infuſi, vel in tincturæ, formam redigi poſſunt.

Si medicamentis, alvum purgantibus, hoc conſilio utimur, ut tota humorum univerſitas inſigniter imminuatur, eorumque ad partem aliquam affluxus, magna fluidorum copia ſemel expulſa, revocetur atque devertatur, aliquod ex draſticis exhiberi debet, quorum tutiſſimum eſt, certioremque reliquis effectum habet jalappæ radix, quæ, in pulverem redacta, & cum pari nitri pondere mixta, alvum validiſſime purgat, nec unquam ingentem aquarum vim non

dejicit. Quare plurimum valet, ubicumque talis evacuatio neceſſaria eſt. Scammonium quoque tutiſſimum ac potentiſſimum, eodemque, quo jalappæ radix, aptum medicamentum eſt: ſed, quum ſæpe corruptum atque adulteratum inveniatur, minus certos effectus habet. Gutta gambogia, cum cremore tartari trita, a granis duodecim ad viginti exhibita, valentiſſimum remedium hydradogum eſt, & præcipue in hydrope proficit. Spinæ cervinæ ſirubus etiam valide alvum purgat, ſed facile tormina, multumque nauſeæ, excitat. Ad aquas tamen copioſius expellendas in primis valuiſſe ſæpius obſervatus eſt.

At ubi inteſtinorum canalis pituita glutinoſa oppletus eſt, aut fibræ ejus ſenſum hebetiorem atque obtuſiorem habere videntur, ita, ut motum periſtalticum magna ex parte intermitti, appareat, aloë præcipue idonea eſt, vel per ſe, vel, ſi quid acrius, majorique ſtimulo præditum, requiratur, ſcammonio, aut colocynthidi, mixta.

In tenerioribus autem, qui magnam ſenſibilitatem, & vaſa ſanguifera debilia, habent, medicamentorum, ex aloë compoſitorum, uſus ſtudioſe vitandus eſt. Quibus, ſi quando alvi purgatione indigent, ſolum fere rheum barbaricum ſine periculi metu exhiberi poteſt.

CLYSMATA.

Quoties dejectionem a medicamentis, ore ſumendis, petere, alienum minuſque conveniens eſt, ad alvi ductionem, ſive ad clyſmata, confugimus. Quorum uſus præcipuus eſt, ubi nihil aliud, niſi inteſtina exonerare, fæcumque, mora ſua corpori nocituram, accumulationi occurrere, conſtitutum habemus, vel, ubi metus eſt, ne, corpore per medicamentum catharticum turbato, morbus increſcat, aut nova quædam incommoda accedant. Atque hoc qui-

dem non raro in morborum, quos febris comitatur, progreſſu obtinet: ideoque hic fere alvi ductionem præferimus, cujus effectus longe exactius, quam medicamentorum, ore ſumendorum, definiri poſſunt. Sæpe enim numero accidit, ut, quum ſemel dumtaxat alvum ſolvi res poſcat, tamen vel exiguum medicamentum, ejus rei cauſa devoratum, plurimas dejectiones, magno fortaſſis ægroti malo, excitet. Clyſmata aliis quoque uſibus, quam inteſtinis exonerandis, adhibentur. Sed hos, quum ad morbos peculiares referantur, in præſentia quidem ſilentio præterimus.

SEDANTIA.

Neque ſanguinis autem miſſio, neque alvi purgatio, in minuenda motus intentione, tollendaque ſyſtematis vaſcularis perturbatione, tantum valet, quantum ea remedia, quæ virtute ſtricturam ſpaſmodicam reſolvendi pollent. Hæc a manifeſta ſedatione, quam, proſpero cum ſucceſſu exhibita, afferunt, in univerſum ſedantia, refrigerantia, vel febrifuga, appellantur.

Nitrum in hac claſſe primum plerumque locum occupat. Nec, quin magnarum virium ſit, dubitari poteſt. Mixturæ etiam ſalinæ neutræ, quas ſales alkalini volatiles, vel fixi, acidis vegetabilibus, vel minerabilibus, ſaturati, efficiunt, recte dantur, atque interdum perutiles repertæ ſunt.

Vulgo quidem rariſſime nitrum eo exhibetur pondere, quod inſigni cuidam effectui præſtando par eſſe poſſit. Idem vero in febribus inflammatoriis, præcipueque in hac illarum varietate, cui, qui accedunt, omnium partium carnoſarum dolores febris rheumatiſmaticæ nomen dederunt, eximiæ utilitatis eſſe dicitur, ſi ſex octove, imo decem drachmæ, viginti quatuor horarum ſpatio ſumantur. Opus autem eſt,

ut in larga ptiſanæ cujuſdam tenuioris copia diſſolvatur, ſic, ut ſinguli hujus ſextarii non amplius ſingulas illius drachmas contineant. Illud ignorare non oportet, ægros, quibus hæc curandi ratio profuit, homines robuſtos fuiſſe, atque in noſocomiis militaribus decubuiſſe. In praxi privata, valde dubitamus, an ſæpe hujus generis corpora athletica nobis occurſura ſint. Atque, ut jam occurrant, quis ipſis perſuadere poterit, ut tantum potionis, palato minime blandientis, modum ingurgitent?

Obſervationes, his etiamnum recentiores, inſignem nitri copiam a ventriculo perferri poſſe, docuerunt. Iiſdemque compertum eſt, ſi nitrum non protinus, ut ſolutum eſt, ſed multo poſt demum, ſumatur, vim ipſius refrigerantem longe minus conſpicuam eſſe.

Nitro facultas ſanguinem attenuandi adſcribitur, atque in ſpeciem experimento demonſtratur, ſi quis illud ſanguini recens detracto admiſceat. Sed omnia iſta, quæ extra corpus fiunt, experimenta precaria ſunt, & ſemper cauto opus eſt, ne in morborum curationibus plus juſto iis tribuamus. Quis enim ſanguinem, in vaſis contentum, motuque agitatum, æque, ut ſanguinem e venis emiſſum, atque in patella quieſcentem, a nitro mutatum iri ſibi perſuaſerit? Cæterum attenuanti huic nitri facultati mirifice cum illorum ſententia convenit, qui in febribus inflammatoriis lentorem quemdam, exiliſſimarum arteriarum fines obſtruentem, ſtatuunt. Sed hæc ſententia nunc quidem prope eſt, ut oblivioni tradatur.

Spiritus nitri ac vitrioli dulces vim ſedandi habent, atque in motus intentione minuenda, & ſymptomatibus, quæ ab illa, tamquam cauſa proxima, dependent, levandis, grati pariter utileſque ſunt. Sed omnium fortaſſis efficaciſſima, & præ cæteris ad ſolvendam ſtricturam ſpaſmodicam, reſtituendamque circuitus humorum æquabilitatem ac libertatem, adhibenda remedia, nonnullæ ex his rebus ſunt, quæ,

liberaliore manu præbitæ, vomitum provocant; exigue autem datæ, diaphoreſin movere, humoreſque ad cutem propellere, obſervantur.

Sunt eæ radix ipecacuanhæ, ac varia medicamenta, ex ſtibio confecta, a quibus proſperos illos, quos laudavimus, effectus in febribus, inflammationibus, atque profluviis, natos fuiſſe, ſexcenta exempla extra omnem dubitationis aleam poſuerunt.

De commodiſſimis horum medicaminum formulis, de opportunioribus illa exhibendi temporibus, & de juſtis ſingulorum ponderibus, deinceps dicemus: ad præſens pauca tantum de uſu vomitoriorum generatim proponemus.

VOMITORIA.

Si nihil aliud ſpectamus, niſi ut ventriculus exoneretur, commode fere exhibetur magna potio aquæ, in qua flores chamæmeli maduerunt, vel ipſius aquæ calidæ ſimplicis. Sin autem manifeſtum eſt, ſaburram quamdam, aut bilem, aliamve materiam noxiam, in ventriculo hærere, quæ ſine vi quadam ejici non poteſt, plerumque ad ipecacuanhæ radicem, vel medicamentum aliquod, ex ſtibio paratum, decurrimus.

Ipecacuanhæ radix vomitus cauſa omnium frequentiſſime adhibetur, cæteriſque vomitoriis hoc præſtat, quod perexigua ejus portio, quæ quatuor vel quinque grana non excedat, ab adultis quoque raro ſumitur, quin toties, quoties res poſcit, inde vomant, ita tamen, ſi, tepidum aliquem potum ſorbendo, illius actionem promovent. Nec vero, etiamſi pondus ad dimidiam uſque drachmam augeatur, multum periculi ab ea metuendum eſt. Minus certa eſt medicamentorum, e ſtibio paratorum, actio. Interdum enim magna cum violentia: alias vix, aut plane non, agunt. Nihilo tamen minus, quum ſtibium ad laxandam ſtricturam ſpaſmodicam, & promovendam

diaphoreſin, plurimum poſſit, febreſque maximam partem ab hac ſtrictura incipiant atque foveantur: vomitoria, ex illo confecta, in acceſſionum febrilium initiis ſæpius utiliſſima reperta ſunt. Tutiſſime hac ratione exhibentur, ut tria quatuorve tartari emetici grana in totidem aquæ ſimplicis unciis diſſolvantur: cujus aquæ quantum cochleario excipi poteſt, ſexta, vel quarta, quaque horæ parte, ſorbeatur, donec vomitus provocetur.

Prius vero, quam vomitoria exhibere auſis, obſervationes quædam neceſſariæ ſunt. Primum dari nunquam debent, ubi vaſa pleniora tument, oculique flagrantes & turgidi, cum dolore atque gravitate capitis, ac vertigine, juſtum metum faciunt, ne, ſub vomendi conatibus, cerebri vaſa nimium onerentur, aut rumpantur. Quod ſi igitur in tali corpore morbus incidat, qui medicamentum vomitorium neceſſario deſideret, ſemper ſanguinis miſſio, & hæc ipſa liberalior, præmittenda eſt. Summam quoque in præbendis illis cautionem adhiberi oportet, ubi majus aliquod pulmonum vas diſruptum olim fuiſſe conſtat, aut talis noxa merito timeri poteſt. Neque danda ſunt, ubi ventriculus in inflammatione eſt, quam cognoſcere licet ex ſenſu ardoris ac doloris acris in regione epigaſtrica, cui calor immodicus, pulſus durus, velox, & debilis, ſitis nimia, cum perpetua vomendi cupiditate, accedunt.

Uſum eorumdem etiam prohibent affectus hyſterici, hypochondriaci, ubi ventriculus ſpaſmo contractus eſt, unde ſumma anxietas, ſpirandique difficultas, tantum non ſtrangulans, oritur. Neque locus illis concedi poteſt in coli tormentis, ſimilibuſve imi ventris vitiis, ſi pertinax alvi obſtructio cum his conjuncta eſt.

Summe malefica quoque ac periculoſa ſunt, ſi brevi poſt, quam animus ira vehementer perturbatus fuit, ſumuntur. Nec unquam denique ea exhibere licet,

dum menſes fluunt, aut in propinquo ſunt.

Hæc præcipua illa momenta ſunt, quæ vomitoriorum uſum interdicunt.

Conditiones, ſub quibus eadem proficiunt, præter illas, quas jam diximus, hæ ſunt: ſi ventriculum cibi, ſine modo ingeſti, gravant, vel opprimunt; ſi quis, venenum aliquod devoravit; ſi juſtus timor ſubeſt, ne febrium putridarum miaſma corpus infecerit. Quum enim miaſmata cum ſaliva in primis ſuccoque gaſtrico ſe commiſcere videantur: probabile eſt, ſi hæc protinus, ut hauſta ſunt, nec dum in ſanguinem tranſierunt, rejicere liceat, ipſi morbo occurſum iri.

In principiis omnium morborum febrilium, vomitoria a pleriſque commendantur: ubi tamen ita proficiunt, ſi, quas de ſanguinis miſſione præmittenda neceſſarias eſſe diximus obſervationes, haud negligas.

Eadem vehementer proſunt, ubi bilis nimium tenax, periculumque eſſe videtur, ne ipſius e veſicula fellea in inteſtinum duodenum tranſitus occludatur: unde variæ gravitatis aurigo naſcitur. Ad jecinoris etiam vitia, quum hoc viſcus infartum atque obſtructum eſt, crebrior illorum uſus permultum poteſt, ut quæ non ſolum bilis excretionem augeant, ſed etiam jecur, omniaque reliqua abdominis viſcera, concutiendo & comprimendo, magnam partem ad removendas obſtructiones conferant.

Ad anacatharſin quoque promovendam, pulmoneſque muco glutinoſo exonerandos, bene faciunt, atque ita aſthma, ab hac cauſa prognatum, levant. Longe certiorem autem levationem in illius aſthmatis acceſſione afferunt, quod res aliqua, ventriculum opprimens ac diſtendens, eoque diaphragma irritans, efficit.

Supereſt is vomitoriorum uſus, quo ſanguinis, aliorumque humorum, profluvia reprimunt. Cujus quidem uſus aliqua in HIPPOCRATE jam exſtant veſtigia,

ſed quem noſtra ætate in primis introduxit Cl. BRYAN ROBINSON, Medicus Dublinienſis.

VICTUS RATIO.

Recenſita hactenus auxilia, quo facilius atque felicius nimios ſyſtematis vaſcularis motus compeſcant, eam laborantibus imperari oportet victus rationem, quæ & tenuiſſima ſit, neque vel tantillum irritet.

Conſtans perpetuumque omnium febrium ſymptoma cibi faſtidium, aut certe anorexia, eſt. Nimis igitur cauti ſunt, qui, ægrotum carnibus, vel ipſarum juſculis, interdicendum eſſe, præcipiunt. Ipſe enim per ſe ab his alimentis faſtidio quodam & nauſea abalienatur, quæque ad palatum ejus tunc temporis potiſſimum faciunt, ea quam maxime idonea ſunt, ut potiones ſubacidæ & aquoſæ, vel ſummum ptiſanæ tenues, aut panis, ex aqua decoctus, cui ſuccus aliquis acidus adjectus ſit.

Hiberni vulgo in omnibus morbis, qui cum febre ſunt, potione quadam utuntur, quæ regioni ipſorum tantum non propria eſſe videtur, guſtuique gratiſſima, & corpori refrigerando, ac ſiti reſtinguendæ, perquam accommodata eſt. Serum eſt, ex lacte acido, butyri experte, & lacte novo, ſimul ebullientibus, confectum: ex quo ſerum lactis duplicis nominatur.

Initio febrium, & quamdiu pulſus plenus ac fortis manet, hæc potio præcipue in uſum vocatur, commodiſque ægrotantium manifeſto apta eſt. Sed iis in locis, ubi ſerum iſtud lactis duplicis parari non poteſt, in vicem ejus vel lac, ex amygdalis dulcibus preſſum, vel aqua, ex qua hordeum decoctum eſt, vel aqua, in qua ſalvia maduit, vel aqua, ex qua graminis canini radices aliquis decoxit, vel aqua calida, roob ribium, aut malis minutatim conciſis, affuſa, vel limonada, ægrotis dari debet. Si quid paulo ſo-

lidius appetant, hordei, vel avenæ, ptiſana, panis, ex aqua decoctus, & ſucco quodam acido conditus, poma toſta, roob ribium, ac ſimilia alimenta leviora, eo, quem ægri deſideraverint, modo, iiſque, quæ peculiares morbi conditiones ſuaſerint, intervallis, exhibenda ſunt.

In inflammationibus ſinceris nonnunquam ciborum faſtidium haud ita magnum eſt, ægrique ſolidiora, quam rebus ipſorum convenit, alimenta aſſumere cupiunt. Sed hic eos, qui cubantium curam agunt, diligenter providere oportet, ne carnes, imo ne juſcula quidem carnium, ab illis attingantur, quamdiu ſyſtematis vaſcularis motus tam intenti manent, ut periculum aliquod timendum ſit.

Omnia hæc tamquam potentialiter, ut aiunt, refrigerantia, ſive ſedantia, conſiderari debent: ſed ſunt alia, quæ ſenſu, quem vocant, actuali pro refrigerantibus haberi poſſunt, velut frigida potatio, vel aër frigidus, ad corpus admiſſus. His tamen caute circumſpecteque utendum eſt, quamvis, ſi libertatem illam reputes, quam Medici nonnulli, variolarum inſitioni vacantes, ægris concedunt, in ſummo febris, eruptionem præcedentis, vigore foras progrediendi, frigidamque, ex puteo nunc primum hauſtam, pro lubitu bibendi, dubitari non poſſit, quin hi, qui iſtos refrigerandi modos adhibent, longe minorem, quam vulgo opinati ſunt, aleam adeant. Id certe pro explorato compertoque liquet, ægris, febre laborantibus, multo graviores allatas eſſe noxas, quod cubiculis nimium clauſis detenti fuerunt, quam quod corpora ſua aëri aperto expoſuerunt.

CAPUT

CAPUT II.

Therapia generalis motuum ſyſtematis vaſcularis remiſſorum, vel intermiſſorum.

HÆc generalis nimios ſyſtematis vaſcularis motus compeſcendi ratio eſt. Sed ubi ex pulſu, aliave qua corporis conditione, motus illos remiſſos, vel plane intermiſſos eſſe, perſpicimus, contraria curandi ratio adhibenda, idque moliendum eſt, ut motus animales, per medicamenta cardiaca & ſtimulantia, adjuventur atque excitentur.

CARDIACA.

Vinum, pulſus excitator, certiores fortaſſis ac ſtabiliores effectus, quam ullum aliud, quod pharmacopolia ſubminiſtrant, medicamentum, præſtat. Sed tum hujus, tum cardiacorum pharmaceuticorum, uſus liberalior haud mediocrem animi intentionem prudentiamque exigit. Fieri in præſentia non poteſt, ut omnes illas conditiones, quæ hoc medicamentorum genus aut prohibent, aut imperant, minutius & ſcrupuloſius diſtinguamus. Illud unum generatim atque univerſe præcipi poteſt, ut, quamdiu ex cutis calore & ſiccitate, atque ex ſiti immoderata, alvique duritia, appareat, ſtricturam ſpaſmodicam nondum eſſe relaxatam, tamdiu neque vinum, neque ipſum adeo ferum vinoſum meracius, neque ſales ſpirituſve volatiles alkalini, neque confectio cardiaca, neque pulvis e contrayerva compoſitus, neque radix ſerpentariæ, ſimiliave, niſi caute, & timide, & cunctanter, ægrotis exhibeantur.

At ſi lingua humectata, cutis remollita, nubecula,

in lotio ſuſpenſa, pulſuſque tranquillior ac plenior, ſtricturam ſpaſmodicam remitti, demonſtrant: in hoc ſtatu naturam vino, aliove quo medicamento cardiaco ex iis, quæ recenſuimus, adjuvare licet.

Si ſyſtematis vaſcularis motus admodum torpent, vel in totum ceſſant, ad medicamenta, acerrime ſtimulantia, hoc eſt, ſales ſpirituſve volatiles alkalinos, veſicatoria, aut ſinapiſmos, confugiendum eſt.

Nec vero veſicatoria non ſæpiſſime ibi quoque perutilia ſunt, ubi motuum remiſſio minus evidens eſt. Quid? quod interdum in ipſa nimia illorum intentione mirifice proſunt.

VESICATORIA.

Uſus veſicatoriorum triplex potiſſimum eſt. Adhibentur enim,

1) tamquam acria, ſtimulantia, ad motus partium ſolidarum inflammandos, novoſque excitandos;

2) tamquam evacuantia, ad ſeri excretionem promovendam, ubi, partem aliquam illo oneratam eſſe, merito ſuſpicari licet;

3) tamquam anodyna, antiſpaſmodica, atque antiphlogiſtica, ad vim dolorum leniendam, ſtricturas ſpaſmodicas relaxandas, æſtumque inflammationis moderandum.

Morbi, acrem veſicatoriorum ſtimulum requirentes, hi ſunt, in quibus pulſus debilis ac depreſſus eſt, omneſque ſentiendi facultates obtuſæ & languidæ ſunt, quales ſub finem plurium febrium, ſicut etiam in paralyſi atque comate, apparent.

Morbi, quorum levationem veſicatoria, ſerum evacuando, pollicentur, ſunt oculorum inflammationes, eaque capitis vitia, quæ a vaſorum in hac parte plenitudine oriuntur, itemque dolores rheumatiſmatici, in membro aliquo penitus defixi, qui a ſeri acrioris curſu, illuc facto, proficiſci creduntur.

Veſicatoria interdum ſimul & ad partes ſolidas vivas ſtimulandas, & ad humorem noxium evacuandum imponuntur, ut in variolis, morbillis, ac febre miliari, quum exanthemata a cute ad interiora relabuntur, friguſque & præcordiorum oppreſſionem inducunt. Hic veſicatoria eo conſilio admoveri conſueverunt, ut, ſi fieri poſſit, pulſus excitetur, eodemque tempore pars quædam humoris noxii cum ſero, ex cute profuſo, eliminetur.

Affectus, in quibus veſicatoria antiſpaſmodicorum vice funguntur, ii fere ſunt, qui hyſterici appellantur. In his, verbi gratia, ſæpe ſtupenda præcordiorum oppreſſio, ſpirituſque difficultas, proxime ad ſtrangulationem accedens, occurrit, non, niſi a ſpaſmo, diaphragma, alioſque muſculos, reſpirationi inſervientes, conſtringente, oriunda. Quod ſi ſatis liquet, hanc veram moleſtiæ cauſam eſſe, nec ſpirandi difficultatem a pulmonibus infartis dependere, ſubitum a veſicatoriis levamen exſpectare poſſumus, quæ hîc commodiſſime ſuper crura dantur. Ideo autem veſicatoria, huc data, proficere videntur, quod levem aliquem ſpaſmum fibrarum, ab iis, quæ primitus affectæ ſunt, diſtantium, excitant.

Ex eadem ratione dolores per veſicatoria mitigari ſtatuimus. Quod ſi enim verum eſt, dolorem a nimis violento motu vibrante liquoris nervei in certa quadam nervorum ſerie oriri, facile apparet, ſi motus ille vibrans in diverſa ſerie incitetur, motum nimium in illa, quæ primitus turbata fuerat, ſedari poſſe.

Atque hinc fit, ut veſicatoria, loco dolenti impoſita, tantum in pleuritide valeant. Nam, ut ſupra docuimus, inflammationes partim a motus oſcillantis in ſingulis vaſorum ſanguiferorum ſeriebus exceſſu naſcuntur.

Præter veſicatoria, nonnunquam pultes ſtimulantes, ex radicibus raphani agreſtis, ſeminibus ſinapeos, aliiſque rebus acribus, compoſitæ, adhiben-

tur, quibus humorum ad partem aliquam concurſus aliorſum avertatur, vel ſolida viva, ubi vis vitæ inſigniter languet, aut oppreſſa eſt, irritentur. Compoſitiones iſtæ, pedibus admotæ, caput, vel pectus, ſæpius levaſſe obſervatæ ſunt. Sinapiſmi vocantur, quia ſemper ſinapi in iis eſt. Sed, ubi res poſcit, ut ſummam acrimoniam habeant, recte cantharides adjiciuntur.

Quum cantharidum, quoquo modo adhibitarum, ea ſit proprietas, ut urinæ itinera afficiant, ſemper huic moleſtiæ occurrendum eſt, præcipiendo ægrotis, ut emulſionem vulgarem, vel alium quemdam potum involventem atque mucilaginoſum, largius bibant. Fuere, qui camphoram, ſuper emplaſtris veſicatoriis contritam, ne cantharides urinæ difficultatem crearent, efficere dicerent. Sed num camphoræ, hac ratione adhibitæ, virtus illa ex vero tribuatur, merito dubitare poſſe nobis videmur.

Præcipuam utilitatem veſicatoria promittunt, ubi, fluidorum integritate non admodum læſa, moleſtiæ a turbato ſolidorum vivorum ſtatu proficiſcuntur. Conſideranda igitur potiſſimum ſunt tamquam ſtimulantia, antiſpaſmodica, atque anodyna, neque multum ab iis, tamquam evacuantibus, exſpectare licet, niſi ſi ulcera ſatis diu adaperta ſervantur.

ROBORANTIA.

Et veſicatoria, & cardiaca, languidis ſyſtematis vaſcularis motibus nihil aliud, niſi robur breve & ad tempus, polliceri poſſunt. Ubi enim ſtabiliores deſiderantur effectus, ad ea decurrendum eſt auxilia, unde ſolidis vivis veri nominis robur ac firmitatem exſpectare liceat.

Nihil adhuc repertum eſt, quod hunc effectum tam certo tutoque præſtet, quam divinus ille cortex peruvianus. Atque in morbis longis medicamenta, ex

ferro parata, vel aquæ ferratæ naturales, ſæpius felici cum ſucceſſu dari, ſyſtematiſque vaſcularis vigorem reparare, inveniuntur.

CAPUT III.

Therapia generalis motuum inordinatorum ſyſtematis nervoſi.

SYMPTOMATA, quorum cauſæ proximæ in motibus ſyſtematis nervoſi nimiis atque inordinatis ponuntur, ſunt dolor, pruritus, agrypnia, ſpaſmus, hyperæſtheſia, delirium. Quibus quæ levamentum afferunt remedia, in univerſum anodyna atque antiſpaſmodica nominantur.

Quum motus, quibus in ordinem redigendis medicamenta illa inſerviunt, plane obſcuri atque abſtruſi ſint: modum, quo hæc agunt, pariter occultatum & circumfuſum tenebris eſſe, oportet. Quemadmodum enim de morbis ſyſtematis nervoſi non aliunde, niſi ex evidentibus vitiis, ſenſuum organa motuſque voluntarii inſtrumenta afficientibus, judicare licet: ita etiam remediorum nervinorum virtutes tantummodo ex mutationibus, quas in organis illis atque inſtrumentis facere obſervantur, æſtimari poſſunt.

Dolor, &, quæ ipſum neceſſario conſequitur, agrypnia, facile frequentiſſima ſymptomata nervoſa ſunt, a nimio, ut arbitramur, motu oriunda. Quæ vim illorum molliunt remedia, generatim anodyna nominantur. Quorum princeps opium eſt, quod admirandum medicamentum, ſic, ut cortex peruvianus, infinitam utilitatem habet, atque ad plurima, quæ ſingulatim nunc deſignari non poſſunt, longe efficaciſſimum eſt. His, qui uſui ipſius aſſueti non

ſunt, plerumque perexiguum pondus exhiberi, ſed exibitio brevibus ex intervallis repeti debet, donec effectus ſatis appareat.

Præter opium, medicamentum aliquod chemicum eſt, ab inventore HOFMANNO, magnificis laudibus cumulatum, &, quamdiu is vixit, in arcanis habitum, nunc autem ubique notum. Vocatur liquor mineralis anodynus, cujus uſus in his morbis commendatur, in quibus noxa aliqua ab opio timenda eſt. Ubi enim vis vitæ multum depreſſa, pulſuſque debilis, parvus, ac velox eſt, opium periculoſe datur.

Si liquor hic anodynus dimidiam modo partem virtutum, ab ipſius inventore celebratatum, poſſideret, quantivis tamen pretii remediis jure meritoque annumeraretur. Sed nuper æther vitrioli, qui ejuſdem prope, ac liquor anodynus, naturæ eſt, ſimileſque præſtare effectus videtur, in uſum vocari cœpit, atque vel extrinſecus locis dolentibus admovetur, vel ex liquore conveniente per os aſſumitur.

Quemadmodum dolor, pruritus, agrypnia, erethiſmus, delirum, a nervorum ſentientium: ita ſpaſmi a nervorum moventium motibus inordinatis proficiſci ſtatuuntur. Sed, quæcumque ſpaſmi cauſa eſt, medicamenta quædam eſſe conſtat, quæ ad motus illos inordinatos ſedandos proprie valeant. Principem inter hæc locum iterum ſibi vindicat opium, cui aſa fœtida, caſtoreum, camphora, moſchus, & radix valerianæ, addi debent. Sæpe, ubi medicamenta antiſpaſmodica ſummæ efficaciæ deſiderantur, omnia iſta, vel pleraque, conjunguntur, ut in morbo illo terribili, cui hydrophobiæ nomen eſt, vel in illo æque periculoſo, qui partium tendinoſarum vulnera ſequi conſuevit, & capiſtrum, ſive ſpaſmus maxillæ inferioris, appellatur, vel in ſuffocatione, quæ in morbis hyſtericis frequens eſt.

In morbis longis, velut in epilepſia, ubi diuturno remediorum uſu opus eſt, ſuperioribus temporibus medicamentis quibuſdam admirandas atque inuſitatas virtutes antiſpaſmodicas adſcripſerant. Fuerunt illa muſcus, e craniis humanis enatus, cranium humanum ipſum, ungula alces, oleum animale, viſcum quernum, radix valerianæ ſilveſtris, cum plurimis aliis. Pleraque autem, ſi valerianæ ſilveſtris radicem excipias, hodie vel multum de exiſtimatione ſua deperdiderunt, vel, ſi quam adhuc habent, vix ægreque eam conſervant. Nec vero radici valerianæ non merito ſuo multum tribuitur. Singulares enim ipſius virtutes tum in nervis roborandis, tum in ſpaſmis placandis, ſatis liquido exploratæ atque ſpectatæ ſunt. Nuper Vindobonæ ſibi perſuaſerunt, mali aureæ folia, in pulverem redacta, vel ex aqua decocta, epilepticis exhibita, ad dirum hunc morbum evincendum valuiſſe.

Symptomata, a motibus ſyſtematis nervoſi remiſſis, vel intermiſſis, oriunda, ſunt frigus, debilitas, anorexia, major, minorve ſomnolentia, vel anæſtheſia: quæ ſæpe motuum ſyſtematis vaſcularis remiſſionem, vel intermiſſionem, adjunctam habent, iiſdemque propemodum remediis indigent.

Medicamentorum, univerſum ſyſtema nervoſum corroborantium, longe primus eſt cortex peruvianus, cui, pro re nata, radix valerianæ ſilveſtris, & remedia, ex ferro parata, vel ferrum, in aquis ferratis naturalibus ſolutum, addi poſſunt. Uſum autem horum medicamentorum balnea frigida, corporis exercitationes, victus nutriens, aër ſalubris, convictuſque & ſodalitium jucundius, adjuvent, neceſſe eſt.

Medicamenta, a quibus caput proprie corroborari creditur, cephalica nominantur, quorum, ſi indicem ſpectes, infinitus pæne numerus eſt. Præcipua ſunt balſamum peruvianum, lavendulæque, roris mari-

ni, ac ſimilium herbarum redolentium, flores. Spiritus, ex his floribus compoſitus, admodum ſuavis, nec raro ad nauſeam, & capitis dolorem, a cauſis levioribus motum, proficiens eſt.

Medicamenta, quæ proprie pulmones atque viſcera parenchymatodea, corroborare ſtatuuntur, balſamica appellantur, omniaque balſama nativa, ut Tolutanum, Gileadenſe, Canadenſe, & Copaiuæ, ſtyracem, ac benzoïnum, complectuntur.

Quæ ventriculum roborant, ciborumque concoctionem promovent, ſtomachica dicuntur: quorum pleraque amara ſunt. Quorſum pertinent pars flava corticis malorum aureorum, cacumina centaurii minoris & abſinthii romani, flores chamæmeli, radices gentianæ & Zedoariæ, &, cujus uſus nuperrime invaluit, eximiæque in roborando ventriculo virtutes prædicantur, radix columbæ, ex Ceylania in orbem noſtrum apportata. Quibus accedit aliud novum medicamentum, ex colonia Surinamenſi allatum, ab inventoris, mancipii Æthiopis, nomine lignum Quaſſi vocatum, ſummo amarore, ſine ulla ſaporis adſtringentis nota, præditum.

Medicamenta, quæ proprie ventriculum in expellendis flatibus adjuvant, carminativa nominantur, præcipueque in feminibus, oleo calefaciente fœtis, conſiſtunt: qualia ſunt ſemina aniſi, coriandri, carvi, piperis, cardamomi. Quibus accedunt radices angelicæ & Zingiberis, cum aqua ſtillaticia foliorum menthæ piperitidis.

Omnia hæc medicamenta requiri ponimus, ubi vires ſyſtematis nervoſi ex parte tantum debilitatæ ſunt: ſed ubi motus ejus plane interrupti ſunt, ita ut ſenſuum organa, motuſque voluntarii inſtrumenta, affici, vel agere, ceſſent; in hoc ſtatu ad medicamenta ſummopere ſtimulantia, hoc eſt, ea, quorum acrimonia calefaciens univerſum ſolidorum vivorum

ſyſtema incitare atque animare valeat, confugiendum eſt. Hæc vero eadem illa medicamenta ſunt, quæ ad excitandos ſyſtematis vaſcularis motus ſupra a nobis laudata ſunt.

CAPUT IV.

Therapia generalis, ad materias noxias in primis viis corrigendas, & integritatem univerſæ humorum maſſæ reſtituendam, adhibenda.

QUAMQUAM omnis impotentia, aut moleſtiæ ſenſus, ab inordinatis ſyſtematis vaſcularis, vel nervoſi, motibus proxime dependet: non ſemper tamen in noſtris ægros levandi conatibus id tantummodo ſpectare debemus, ut motus iſtos in ordinem redigamus.

Certum eſt, exempli gratia, ventriculi dolorem & nauſeam perturbationi cuidam nervorum tribui oportere, atque, ut primum perturbatio illa conquieſcat, ventriculi dolorem & nauſeam ſtatim eſſe conquietura. Jam ponamus, conſilium noſtrum ab ægroto, duobus illis ſymptomatibus afflicto, peti, noſque, inſtituto examine, ipſorum originem in ſaburra ventriculi acida perſpicue invenire. Quum ſaburra hæc per ipſam ſitus ſui naturam facile expelli, vel corrigi, poſſit, neque opium ad leniendos dolores, neque remedia ſtomachica & cardiaca ad tollendam nauſeam, ſuadebimus, ſed ægrotum aut vomitorio ad ſaburram acidam rejiciendam, aut magneſia alba ad illam corrigendam, atque in ſalem neutrum convertendam, uti jubebimus.

Simili ratione luem veneream inveteratam acerrimi dolores, ægroto per plures noctes continuas ſomnum adimentes, comitantur. Sed, experientia edocti,

novimus, dolores iſtos tolli non poſſe, niſi, quod eos movet, virus ſpecificum ſubigatur, vel corrigatur. Ideoque de exhibendis medicamentis anodynis non cogitabimus, ſed ad argentum vivum confugiemus, quod ad humorum, in hoc morbo corruptorum, integritatem reſtituendam unice valere, compertum habemus.

Hæc exempla ſatis oſtendunt, curationes haud raro eo dirigendas eſſe, ut materiæ morbificæ, vel in primis viis hærentes, vel humorum craſſiorum univerſitatem vitiantes, expellantur, aut corrigantur.

Exhibebimus primum therapiam generalem quinque illarum, quas ſupra enumeravimus, ſaburræ ſpecierum.

Prima, eademque omnibus communis, curatio in hoc verſatur, ut ventriculus vomitu expurgetur. Poſt quem ſi novam generari ſaburram appareat, id agendum eſt, ut ſuis quæque auxiliis corrigatur.

Medicamenta, quæ ſaburram acidam, cæteris frequentiorem, obtundendi, atque in ſalem neutrum convertendi, facultatem habent, abſorbentia, ſive hybrida voce antacida, nominantur, præcipueque in terris, quæ liquore acido reſperſæ, ſpumant, conſiſtunt. Sunt hæc creta, lapides & chelæ cancrorum, teſtæ oſtrearum, putamina ovorum, magneſia alba.

Hæ res, ventriculo receptæ, cum humore acido ſe commiſcent, eumque in ſalem neutrum convertunt, & irritationi, quæ ab acrimonia illius oriri poſſet, occurrunt, atque ita doloris ac nauſeæ vacuitatem efficiunt.

Superiore ætate theoria quædam invaluerat, quæ morbos tantum non omnes ab acore, ſanguinem contaminante, & œconomiæ animalis ordinem turbante, repetebat. Ex qua neceſſario conſequebatur, ut Medici in plerorumque morborum curationibus acorem corrigendum eſſe exiſtimarent. Itaque mos percre-

buit, qui plurimorum etiam nunc eſt, medicamenta abſorbentia in omni fere morborum genere exhibendi. Nec dubium eſt, quin in multis utilia ſint. Et, quod uſum eorum non mediocriter commendat, raro aliquid noxæ afferunt.

Saburra amara, putrida, rancida, medicamentis, haud multum inter ſe diſcrepantibus, corriguntur. Temperantia vulgo ac diluentia appellantur, præcipueque ex fructuum horæorum ſubacidorum maturorum ſuccis conſtant.

Quæ vulgo vocatur mixtura antemetica, ex abſinthii ſale & limoniorum ſucco, inter ſe confuſis, conſtans, atque inter efferveſcendum devoranda, ſingulari quadam virtute ſaburram putridam corrigendi, vomituſque hinc motos ſiſtendi, pollere obſervatur. Aqua Selterana, vel, quæ longe efficacior eſt, utpote ſalis alkalini nativi ditior, aqua Vahlenſis, cum vino rhenano mixta, elegantiſſimam & ſuaviſſimam potionem efficit, ubi bilis acrimonia corrigenda eſt.

Saburra glutinoſa atque inſipida medicamentorum attenuantium uſum deſiderat, quæ fere amaritudinem cum aliquo calore aromatico habent. Amarorum vis attenuandi hinc dependere videtur, quod fibras ventriculi ſenſiles ſtimulant, ſuccique limphatici, mucum tenacem diſſolventis atque diluentis, excretionem uberiorem provocant. Sed ſunt medicamenta, quæ mucum hunc glutinoſum propius corrigant, velut aqua calcis vivæ, ſaleſque neutri, vel alkalini fixi, quales ſunt tartarus ſolubilis, ſal diureticus, ſal tartari, ſal ſodæ.

Hæc præcipua auxilia ſunt, quibus ad noxia in primis viis corrigenda uti conſuevimus. Quæ in humorum univerſitatem agunt, ea, prout ipſa morborum natura eſt, ita diverſa eſſe, neceſſe eſt.

In ſtatu humorum vappido atque aquoſo, qui ſæpe

in feminis incidit, medicamenta, ex ferro parata, præcipue valent, quorum uſus ſingularibus ægrotantis conditionibus accommodandus eſt. Cum iiſdemque, pro re nata, cortex peruvianus & medicamenta ſtomachica amara, exercitatio corporis moderata, ac balnea frigida, conjungi debent. Rhei quoque barbarici pondera exigua ſubinde exhibenda ſunt, quæ canalem inteſtinorum plus juſto onerari prohibeant.

Si ſanguinem acrimonia acida inficit, quod nonnunquam infantibus, perraro adultis, accidit, fieri poteſt, ut aqua calcis vivæ, per longius temporis ſpatium pota, prævalentem iſtum acorem corrigat: ſin e contrario humorum univerſitatem acrimonia alkalina vitiatam eſſe apparet, ſicut in viro illo nobili apud HUXHAMUM, qui, nimiam ſalium volatilium copiam devorando, ſemet ipſe jugulavit: in hoc ſtatu nulla medicina plus levaminis pollicetur, quam victus ex lacte & vegetabilibus aceſcentibus.

Ad acrimoniam putridam cortex peruvianus, ſpirituſque vitrioli acidus, cum uſu liberaliori vini, ac fructuum horæorum ſubacidorum, in primis proſunt.

In acrimonia denique muriatica, vel ammoniacali, quæ lepram atque impetiginem, cum calore & pruritu conjunctam, generat, præcipuum auxilium pollicentur aquæ ſulfuratæ, taleſque compoſitiones, quales ſunt pilulæ æthiopicæ pharmacopœæ Edimburgenſis, cum aqua calcis magis compoſita, vel potiones diæteticæ, ex radicibus ligniſque edulcantibus chinæ, ginſeng, ſarſæ parillæ, guaiaci, ſaſſafras, confectæ.

Hæc præcipua remedia ſunt iis acrimoniæ ſpeciebus, quæ definitam morbi ſpeciem non generant. Quod ad ea attinet, quæ ſpecificæ indolis materias morbificas corrigendi facultatem habeant, pauciſſima adhuc quidem nobis innotuerunt.

I. Materiam morbificam febrium remittentium & intermittentium cortex peruvianus ſubigit.

II. Virus venereum medicamenta, ex argento vivo confecta, juſtoque tempore adhibita, corrigunt.

III. Virus ſcorbuticum ſucci vegetabilium recentium, vel, iis in locis, in quibus hos parare non licet, aqua, in qua byne macerata fuit, recens pota, evincit.

CAPUT V.

Methodus ſingulas ſecretiones & excretiones augendi, nimiaſque cohibendi.

PRÆTERQUAM quod vitiata fluida animalia corrigenda, materiæque craſſiores ac noxiæ, ventriculum atque inteſtina onerantes, vel irritantes, expellendæ ſunt, præterea res ſæpe exigit, ut ſecretiones & excretiones per cutem, per renes, per glandulas ſalivales, per membranam, nares cavaque, cum ipſis connexa, inveſtientem, per laryngem atque arteriam aſperam, ac per uterum, promoveântur & augeantur, aut e diverſo ſanguinis, humorumve, inde ſeparatorum, profuſiones immoderatæ reprimantur.

Medicamenta, varias illas excretiones promoventia, hidrotopœorum, ſive ſudoriferorum, diureticorum, ſialogogorum, errhinorum, anacathorticorum, ſive expectorantium, & emmenagogorum, appellationibus diſtinguuntur.

SUDORIFERA.

Sudoriferorum & diaphoreticorum vocabula fere promiſcue adhibentur, ad denotanda illa medicamenta, quibus excretionis per cutem promovendæ atque augendæ facultas ineſſe creditur. Sed, ſi ſtrictius loquendum ſit, ſudoriferorum nomine ea medicamenta ſignificantur, quæ copioſos ſudores movent: diaphoretica autem ea ſunt, quæ vix aliud, quam perſpirationem inconſpicuam augent.

Nec ſudoriferorum, nec diaphoreticorum, actio ulla ratione tam certa eſt, quam emeticorum, aut catharticorum. Quum enim tantum non ſemper pro certo nobis conſtare poſſit, medicamento quodam emetico, aut cathartico, ex iis, quæ recenſuimus, aſſumpto, vomitum, aut alvi purgationem, excitatum iri: nunquam tamen dubium non eſt, an, exhibito medicamento quodam ſudorifero, futurum ſit, ut ſudor moveatur. Ac propter incertos iſtos ſudoriferorum effectus contingit, ut res, quarum proprietates, quatenus ſub ſenſus veniunt, prorſus contrariæ ſunt, pro re nata, hidrotopœa evadant. Medicamenta enim, ſudori movendo idonea, non tantum ad incitandum humorum per vaſa circuitum, ſed etiam ad remittendam ſtricturam ſpaſmodicam, valere oportet. Omnia igitur ſtimulantia, quæ cor irritare, ſanguiniſque per vaſa circuitum accelerare poſſunt, ſudoriferorum officio funguntur, ſi eodem tempore cutis pori præter naturam conſtricti non ſunt: & contra omnia refrigerantia ac ſedantia, quorum vis in hoc conſiſtit, ut inſolitam cutis pororum relaxationem efficiant, pro re nata, ſudorem ciere poſſunt. Sic liquores fermentati, ſpirituſve ardentes, poti, aut ſales alkalini volatiles, aliave ſtimulantia acriora, aſſumpta, nonnunquam hidrotopœa fiunt:

alias autem frigida pota, aut nitrum largius devoratum, excretionem illam promovet.

Ex quibus facile perſpicitur, quam parum fidendum ſit virtutibus illis ſudoriferis, quas materiæ medicæ ſcriptores infinitæ medicamentorum multitudini tribuunt.

Quum ad ſudores movendos neceſſarium ſit, aut humorum, per vaſa circumeuntium, vim adeo increſcere, ut obſtaculum, ab arteriarum, cutem perreptantium, finibus objectum, ſuperetur, aut harum oſcula, in cutis ſuperficie hiantia, ita relaxari, ut vis obſtaculi vim cordis non æquiparet: certiſſima hanc excretionem promovendi ratio hæc eſt, ut ſuperficiei corporis ea admoveantur, quæ cutis poros relaxent atque aperiant. Qua in re nihil valentius eſt vaporibus calidis. Ideoque hypocauſta, vel vaporationes, quæ balnea vaporoſa nominant, omnium certiſſime copioſum ſudorem eliciunt, qui ad immenſum augeri poteſt, ſi eodem tempore, quo vapores ad poros in ſyſtematis vaſcularis peripheria laxandos adhibentur, potio aliqua ſtimulans liberaliore manu exhibeatur, quæ cordis robur augeat, atque, ut major vis a centro urgeat, efficiat.

Tales ſudationes ſæpe multum proficiunt in rheumatiſmis, aliiſque doloribus, ſedem conſtantem habentibus, in quibuſdam hydropis ſpeciebus, in cutis vitiis, in nonnullis luis venereæ gradibus.

Valentiſſima æque, atque certiſſima ſudorifera interna ea ſunt, quæ ex medicamentorum, e ſtibio paratorum, vel radicis ipecacuanhæ, & opii mixtura conſtant. Poſterius pulvis DOVERI vocatur, bonoque cum ſucceſſu nonnunquam in rheumatiſmis inveteratis adhibetur.

Uſus medicamentorum diaphoreticorum in febribus ex tot conditionibus ſubtilioribus pendet, ut nihil de illo in univerſum præcipere liceat. Hoc

unum animadvertendum eſſe videtur, ne, quamdiu ſtrictura ſpaſmodica manet, aliquod medicamentum ex iis, quæ diaphoreticorum, febrifugorum, atque alexipharmacorum, nomine in libris commendantur, unquam exhibeamus. Omnia enim hæc, niſi ſtrictura prius laxata, moleſtias exaſperant, calorem & ſyſtematis vaſcularis turbas, augendo. Simul atque vero relaxationis ſigna apparent, vires cordis tuto adjuvari poſſunt, ſic, ut ægrotanti vinum, vel diaphoreticum aliquod pharmaceuticum, exhibeatur.

DIURETICA.

Diuretica inter & diaphoretica magna intercedit affinitas. Eadem enim, quæ copioſos ſudores eliciendi facultatem habent, ſi calore ſtragulorum ſpiſſiorum, vel vaporibus calidis, ad corpus admiſſis, ac liberali liquorum calidorum potu, adjuvantur, potentiſſima medicamenta diuretica ſunt, ſi corporis ſuperficies frigida ſervatur, ac nihil, quod calori movendo eſt, eodem tempore aſſumitur.

Diureticorum effectus maximam partem æque incerti ſunt, ac ſudoriferorum: atque in hac ipſa utrorumque efficacitate incerta ratio quærenda eſt, cur conatus noſtri morbos hydropicos ſanandi toties irriti ſint. Quod ſi enim copioſos ſudores movere, urinæque excretionem augere, æque certo poſſemus, ac vomitum provocare, alvumque dejicere, vix unquam hydropem non eſſemus ſublaturi, ſiquidem per has vias limpham ſuperfluam & ſtagnantem, quæ morbum conſtituit, e corpore eliminare nobis liceret.

Sunt omnino, quæ organa urinæ proprie afficiant, atque excretionem hujus humoris promoveant. Sed natura illorum tam anceps eſt, ut temere

adhibenda

adhibenda non ſint. Niſi cantharides & colchici auctumnalis radices tam acres eſſent, tantaque cum violentia agerent, uſui interdum eſſe poſſent.

Quæ frequentius adhibentur diuretica blandiora, ſunt radices ſcillæ, exiguo pondere exhibitæ; radices fœniculi, petroſelini, aſparagi, raphani agreſtis; ſemina dauci & ſinapeos; baccæ juniperi; cacumina viridia geniſtæ decocta; terebinthina, aliaque balſama ſimilia; ſapo, ſal tartari, ſal diureticus, ſpiritus nitri dulcis.

Diuretica in univerſum neceſſaria ſunt, ubi lotium muco, vel terra, onuſtum apparet, ſicut etiam in hydrope, aliiſve morbis, ubi excretio hæc perſpicue minor eſt, quam in ſanis eſſe debet.

Sed quum difficultas hujus ſecretionis atque excretionis a variis cauſis proficiſci poſſit, & ſæpe proficiſcatur, varias etiam curandi rationes adhiberi, neceſſe eſt.

De modo, quo diuretica æque, ac ſudorifera, agunt, Lectoribus noſtris ALEXANDRI *Specimina Experimentorum* legenda commendamus, in quibus plura experimenta atque obſervationes, ſcitu jucundas juxta utileſque, invenient.

SIALOGOGA.

Sunt morbi ſingulares, in quibus Medici ſalivæ excretionem augendam eſſe cenſuerunt, ut corpus a materiis acribus & noxiis liberarent, maximeque ab illa materia, quæ luem veneream facit, vel ab hac, quæ nonnunquam ulcera corrodentia, variaque cutis vitia, vulgo, ſed minus vere, ſcorbutica appellata, generat.

Præter argentum vivum nullum nobis ſuppetit medicamentum, quod ſalivæ ſecretionem atque excretionem augendi proprietatem habeat, adeoque

proprie ſialogogum vocari poſſit. Quomodo ad ptyeliſmum excitandum illo utendum ſit, deinceps explicabimus : illud interea obſervare poſſumus, ſalivæ fluxum hodie de induſtria longe rarius, quam olim, moveri.

Quæ maſticatoria nominantur, atque interdum ad mucum, a faucibus, oriſque parte interna, detrahendum adhibentur, tamquam ſialogoga ſpectanda non ſunt. Conſtant ex rebus acribus, quæ manſæ fluxum humoris promovent. Adhibetur hac ratione præcipue radix pyrethri, quæ nonnunquam dentium dolorem levat, & ad gingivarum tumores reprimendos facit. Idem præſtat nicotianæ, aliarumve herbarum acrium, fumus, qui, ſi medicinæ loco, non ex ſola conſuetudine, ſugatur, limpham mucumque ex tunicis glanduloſis circa fauces, & in naribus internis, deducere, atque ita humores ab oculis divertere, vel etiam fortaſſe capitis dolori levamentum afferre poteſt.

EXPECTORANTIA.

Expectorantia appellantur ea medicamenta, quæ rejectionem muci illius exuberantis promovent, qui, laryngem titillando, veſiculaſque pulmonales obſtruendo, ſæpe pulmonum actionem turbat.

Exigua vomitoriorum pondera interdum expectorantium vice funguntur, atque idcirco oxymeli ſcillinum, vinum antimoniale, vel tartarus emeticus, aquæ, in qua herbæ ac radices, quas vocant, pectorales, velut, hyſſopum, marrubium, adiantum, tuſſilago, & hedera terreſtris, glycyrrhiza atque inula campana, maduerunt, aut decoctæ ſunt, addi conſueverunt. Exhiberi etiam ſolent linctus, vel mixturæ oleoſæ, ex ſpermate ceti, oleo amygdalarum dulcium, variiſque ſirubis, vel con-

ſervis, concinnatæ, quibus vel ſpiritus vitrioli, qui gratum ipſis acorem impertiatur, vel ſpiritus cornu cervini, qui vim ipſarum acuat, adjicitur. Mel anacatharſin mirifice promovet. Eodemque egregie valet gummi ammoniacum, ſive in aqua diſſolutum, ſive cum ſapone, commodaque radicum ſcillæ ſiccatarum portione, in pilulas redactum, exhibeatur.

ERRHINA.

Errhina, ſive ſternutatoria, quæ muci ad narium internarum, ſinuumque, cum iis connexorum, membranas curſum incitant, quamquam rariſſime vulgo in uſum vocantur: tamen, quum ab omnibus ſcriptoribus ſyſtematicis commemori ſoleant, nec a nobis plane prætereunda ſunt.

Maxime probabiliter utilia eſſe poſſunt in iis morbis, qui comatum nomine inſigniuntur, vel ubi nervi, ad viſus, vel auditus, organa pertinentes, remiſſi eſſe videntur. Hic nonnunquam fieri poteſt, ut crebra ſternutamenta, univerſum corpus vehementer concutiendo, proficiant. Præſtant hunc effectum pulvis radicis veratri albi, vel euphorbii, cujus exiguum pondus vel cum nicotiana, vel cum herbis, quas cephalicas vocant, vettonica, lavendula, meliſſa, rore marino, tenuiter contuſis, miſcetur.

EMMENAGOGA.

Ex medicamentis, ad promovendas augendaſve evacuationes naturales idoneis, ultimo loco conſideranda ſunt emmenagoga. Etiam hîc contrariæ naturæ remedia diverſis temporibus, pro conditionum diverſitate, ad eumdem finem obtinendum adhiberi

poſſe, invenimus. Variæ enim, quin etiam contrariæ cauſæ, ne menſes ſuo tempore, aut juſto modo, fluant, efficiunt.

Menſes interdum ob ſolam vaſorum debilitatem, ſanguiniſque inertiam, deficiunt. Atque hîc ſanitatis reſtituendæ auxilia ex medicamentorum roborantium claſſe arceſſenda ſunt.

Alias nimia plenitudo nimiuſque rigor univerſi ſyſtematis vaſcularis naturalem hanc, certoque circuitu redeuntem, excretionem impedit.

Remedia ſpecialiora, modumque his utendi, deinceps indicabimus. Nulla autem menſium ſuppreſſio difficilius curatur, rariuſque plenam ſanationem admittit, quam quæ ab imprudenti medicamentorum adſtringentium uſu, a linteis humidis indutis, a perfrictione, a terrore, aliave qua mentis commotione, repente orta eſt.

ADSTRINGENTIA.

Quando vel ſanguinis, vel humorum, inde ſeparatorum, excretiones tam profuſæ ſunt, ut debilitatem & maciem faciant, eas reprimi, neceſſe eſt.

Profluvia activa, quæ, ut ſupra docuimus, maxime a ſtrictura ſpaſmodica motuque incitato ſyſtematis vaſcularis dependent, eaſdem, quas in febribus atque inflammationibus laudavimus, curationes deſiderant. Sanguinis miſſio, ac remedia ſedantia, præcipua eſſe debent auxilia. At ſi paſſiva ſunt profluvia, quorum cauſa in vaſorum relaxatione, & continuitatis ſolutione, potiſſimum ſita eſt, ad medicamenta adſtringentia confugiendum eſt: quorum validiſſima ſunt remedia quædam, ex ferro parata, alumen, gallæ, cortex quercus, lignum Campechenſe, teſta mali granati, gemmæ roſarum rubrarum, radix tormentillæ, terra cate-

chu, ſive japanica. Sed horum uſus tot tam variis exceptionibus, ad ſingularia momenta ſpectantibus, obnoxius eſt, ut nihil generatim de illo præcipi poſſit, niſi ſummam tum in hæmoptyſi, tum in alvi profluviis, cautionem adhibendam eſſe, ne, quamdiu ſanguis concretus in pulmonibus, vel acrimonia quædam in inteſtinis hæret, ægrotis exhibeantur.

RESTAURANTIA.

Corpore nimiis excretionibus, vel evacuationibus, valde exhauſto atque exinanito, opera danda eſt, ut vaſa levibus alimentis, quæ ventriculus commode perferat, facileque concoquat, repleantur. Ab iis enim reſtaurantibus, quæ ex pharmacopolio petuntur, parum opis ſperare licet.

Quum vero organorum, digeſtioni inſervientium, actio in hoc ſtatu plerumque adeo debilitata ſit, ut alimentorum, quantum opus eſt, aſſumi non poſſit, aut, ſi aſſumatur, minus bene in nutrimentum convertatur: curantis conſilium ante omnia huc dirigendum eſt, ut ventriculum roboret, ac, ne primæ viæ nimium onerentur, præcaveat. Incipi igitur curatio debet ab exiguis rhei barbarici portionibus, ſic, ut medicamenta ſtomachica amara cum iis conjungantur. Quorum ope ſi organa, digeſtioni inſervientia, tonum recuperaſſe obſerventur, ægrotanti, ut leviorem aliquam gelatinam, juſculum pulli, vel tenuius illud carnis bubulæ juſculum, quod theam bubulam vulgo nominant, liberalius capiat, concedi poteſt. Quod ſi alimenta hæc per dies aliquot aſſumpta ſunt, nec cruditas inde contrahitur, victu ſolidiori uti, & fortaſſe remedia pharmaceutica, quæ conſtringant atque corroborent, in ſubſidium vocare licebit. Quorſum quidem nihil magis idoneum fieri poteſt,

quam amara aromatica in forma quadam convenien-te, cum elixirio vitrioli acido.

Ex brevibus his therapiæ lineis patet, generales curandi rationes ſatis ſimplices eſſe, ac mediocrem remediorum apparatum omnibus majoris momenti finibus, ſaltem, quod ad primæ claſſis morbos attinet, reſpondere.

Secundæ claſſis morbi majorem medicamentorum varietatem deſiderant, quæ efficit, ne generalem aliquam morbis topicis medendi methodum proponere liceat. Etenim plures ex illis, præter remedia interna, quorum uſus regulis præcedentibus nititur, manum Chirurgi, variaque auxilia topica poſtulant, velut emollientia, quæ laxent, roborantia, quæ ſtringant, diſcutientia & repellentia, quæ tumores digerant, maturantia, quæ puri generando faveant, digeſtiva, quæ vulnerum, aduſtorum, ulcerumque ſuppurationem promoveant, detergentia, quæ ſordes putridas tollant, epulotica, quæ cicatricem inducant, refrigerantia, quæ calorem minuant, calefacientia, quæ ſtimulent, caloremque augeant, antipſorica & coſmetica, quæ cutis exanthemata ſordeſque removeant.

Varie hæc medicamenta corpori admoventur, forma cataplaſmatum, epithematum, emplaſtrorum, ceratorum, unguentorum, linimentorum, vaporum, fomentorum, lotionum, injectionum, embrocationum.

Morbi ſexuales, qui generales, ſed maribus proprii ſunt, quorſum duo tantum referri poſſunt, nihil peculiare exigunt. Hi vero, qui generales, & feminis proprii ſunt, ſemper requirunt, ut ad ægræ ætatem, ſtatumque menſium, ac num gravida ſit, an in puerperio cubet, an infantem lactet, attendatur.

Plerique morbi topici, maribus proprii, luis ve-

nereæ effectus ſunt, ideoque, præter neceſſariam curam chirurgicam, atque conſueta remedia topica, argenti vivi opem deſiderant. Morborum topicorum, feminis propriorum, curatio ad partis affectæ naturam accommodanda eſt.

Infantum morbi proprietatem ſuam ab inteſtinorum debilitate, a ſumma ſyſtematis nervoſi mobilitate, laxoque univerſi contextus ſolidi ſtatu nanciſcuntur. Quare in cura morborum, teneram hanc ætatem affligentium, Medicum ſemper ad tria hæc momenta in primis attendere oportet. Patetque hinc neceſſitas medicamentorum purgantium & vomitoriorum ad ſaburram glutinoſam, vel acidam, expellendam; abſorbentium ad hanc corrigendam; balneorum frigidorum ad mobilitatem ſolidorum vivorum minuendam, firmitatemque toti contextui conciliandam.

FINIS Tomi primi & partis theoreticæ.